

RERVM

IN SVPREMIS NEAPOLIS TRIBVNALIBVS

JVDICATARVM

ABSOLVTISSIMÆ COLLECTIONIS

Summa cura & ſtudio nunc primum concinnatæ

TOMVS SECVNDVS

COMPLECTENS

M.C.V. IN CIVILIBUS, ET CRIMINALIBUS,
ALIORVMQVE TRIBVNALIVM

SELECTIORA DECRETA

ANN. 1774. 1775. 1776.





NEAPOLI
EX REGIA TYPOGRAPHIA
MDCCLXXXVII.

SELECTIORA M.C.V. DECRETA.

In caussa interpositionis decreti petiti per D. Josephum Salerni. Die 9. Decembris 1774.
Facto verbo, junctis Aulis, a Domino Judice D. Basilio Palmieri.

In reficienda domo fideicommisso obnoxia, antequam opus aggrediatur, adire Magistratum heres gravatus debet; opere enim perfecto, non permittitur hypotheca domus pro sumptibus jam factis.

DIe 22. mensis Januarii anni 1772. D. Josephus Salerni expetiit in M. C. V. sibi permitti, ducatos 800. ad annuum reditum accipere, pro hisque domum fideicommisso qu. Caroli Salerni sui avi subjectam hypothecæ dare, tanquam impensis in reficienda domo prædicta, eademque sarta tecta servanda, *fol.* 1.; ideo testamentum exhibuit qu. Caroli Salerni, quo heredes ex asse instituti fuere Dominicus, Nicolaus, Januarius, & Cajetanus ejus filii, fideique eorum commissum, ut hereditatem suam eorum filiis indefinite, & in perpetuum restituerent, *fol.* 2. Exhibuit quoque alberanum, quo cautum fuit, hujus sumptibus domum reficiendam fore, refectionibusque expletis, illisque per Architectum D. Antonium de Conciliis æstimatis, pretium intra annum post opus perfectum, & interesse interea quinque pro centeno exsolvenda fore, *fol.* 9. Hinc decreto qu. Domini Judicis Puoti diei 7. Februarii 1772. statutus fuit terminus summarius, datusque Curator ad jura futurorum vocatorum in fideicommisso prædicto tuenda, atque accessus Architecti D. Nicolai Schioppa, cum interventu ejusdemet qu. Domini Judicis, pro domus inspectione ordinatus, *fol.* 12. Accessit rescriptum Regalis Cameræ S. Claræ diei 22. Maji ejusdem anni 1772., *ut M. C. V. junctis Aulis, servata forma Regiæ Pragmaticæ, de justitia provideret*, *fol.* 13. Articulis deinde, & depositionibus trium ædificum, examinatorum die 28. Januarii hujus anni, D. Joseph conatus est probare refectiones factas, *fol.* 14.

Ex relatione autem Architecti D. Nicolai Schioppa diei 11. Aprilis hujusmet anni habetur, fundamentum aliquod cæmentitium subtus unum parietem jactum, & quamplura farcimina in ceteris parietibus facta fuisse, refectiones aliquas, & fulcimenta in eadem domo pariter per dictum D. Josephum, sive per præfatum Vincentium Cocciolla fuisse præstita, necnon parvam *apothecam* in area, sive in solo ejusdem domus, & duo cubicula in parte superiori noviter extructa esse: Quæ res omnes in relatione prædicta, *fol.* 25., per eumdem Architectum in duc. 845, & asf. 92 æstimatæ visuntur.

Inspectis actis omnibus, M. C. V. in civilibus declarat: *Non esse locum petitis per D. Josephum Salerni, neque hypothecæ dandam esse domum in actis deductam pro sumptibus prædictis in ea factis.*

Necesse enim habet heres fideicommisso gravatus Judicem adire, antequam opus aliquod fabrile aggrediatur, ut patefiat, num domus fideicommisso subjecta in ea causa sit, ut extrui debeat, ut ex *Africano lib.* 8. *quæstionum*, sive ex *L. Lucius Titius* 7. *D. de exercit. act.* elicitur; quod minime factum ex actis liquet. Neque sumptus necessarios in farcienda, fulcienda, atque reficienda domo fideicommissario restituenda factos, hic heredi gravato reputare debet, ut *Papinianus lib.* 9. *Responsorum* ait, sive *L. Sumptus autem* 64. (quæ in Pandectis Florentinis est 61.) *D. de legat.* 1. Tantum enim, ut idem *Papinianus* respondit *eod. lib.* 9. *Responsor. in L.* 61. (vel ut melius in Flor. Pand. legitur in *L.* 58. *D. eod. tit.*) domus hereditarias exustas, & heredis nummis extructas, ex causa fideicommissi post mortem heredis restituendas, boni viri arbitratu, sumptuum rationibus deductis, & ædificiorum ætatibus *examinatis* (ut se habet lectio Florentina), vel ut in vulgatis, ædificiorum *quantitatibus æstimatis*; si modo nulla culpa ejus (ut ait *Ulpianus in L.* 59. *sive* 62. *eod. tit.*, & *in L. Mu-*

Mu'ier, quæ duobus 22. *D. ad Sen. Conf. Trebell.*), neque consueta negligentia domus sint exustæ, vel collapsæ: sarcire enim (ut ipse *Ulpianus in L. Fideicommissa §. si quis alicui decem, D. de legat.* 3. ait) heres gravatus fideicommisso debet, sarta tectaque ædificia restituere.

Declarat insuper eadem M. C. *sumptus factos in extruendis cubiculis, & apotheca prædictis esse reputandos, seu imputandos prædicto D. Josepho Salerni, boni tamen viri arbitratu*, ut ait dicta *L. Domus hereditarias*, non vero solum quod impensum est, ut ex *Celso in L. In fundo alieno, D. de rei vindic.*; loquitur enim inibi Jurisconsultus de eo, qui imprudenter fundum a non domino emit, inque eo ædificavit, aut consevit; fideicommissarius tamen tanquam in re propria, licet per fideicommissum restituenda, ædificavit.

Proindeque idem Architectus D. Nicolaus Schioppa æstimet ex eisdem actis sumptus erogatos in extruendis cubiculis, & apotheca prædictis, illosque secernat atque dividat a ceteris aliis fulcimentis, & refectionibus in prædicta domo factis, & relationem in scriptis faciat, ut inde M. C. providere valeat. Verum præsens decretum non exequatur, nisi facto verbo in S. C. junctis Aulis, pro observantia Regiæ Pragmaticæ.

Pendini Act. Mag.

In causa D. Joannis Genovino cum D. Rachele, & D. Archangela Maselli.
Die 12. *Decembris* 1774.
Referente Dom. Judice D. Basilio Palmieri.

D. Joannes Genovino vir, atque administrator rerum dotalium D. Theresiæ Olivieri petiit in M. C. V. condemnari D. Rachelem, & D. Archangelam germanas sorores de Maselli, tamquam filias & coheredes qu. D. Nicolai, debitoris sibi delegati per Rev. D. Dominicum, cete-

Divisa inter coheredes debitoris hereditate, cum ab uno eorum pars annui census soluta fuerit, ab alio solutio retardata,

contra omnes stipulatio committitur, contractusque rescinditur.

ceterosque fratres, & sorores de Olivieri, atque per viduam D. Elisabetham Nicotera eorumdem matrem, ad sibi nomine prædicto solvendos ducatos 400 pro vulgo dicto *capitali*, aliosque ducatos 40 ex causa tertiarum, ob moram earundem sororum de Maselli elapsos; proindeque contractum rescissum, stipulationemque commissam declarari, *fol.*1. Liquet enim ex instrumento delegationis diei 9. Maji 1744. præfatum D. Nicolaum Maselli se debitorem prædictorum de Nicotera, & Olivieri ex alio instrumento anni 1742. in actis exhibito, *fol.*3. confessum fuisse; prædictosque ducatos 400, & pro eis annuos ducatos 20 dicto D. Joanni Genovino soluturum spopondisse, stipulatumque fuisse, lege, sive pactione commissoria adjecta, nisi intra annum, & menses duos in posterum annuos ducatos 20 ipse, suique heredes & successores solvissent, commissam stipulationem fore, contractum rescissum iri, *fol.* 6. Dato termino ordinario decreto diei 5. Martii labentis anni, *fol.*31., excepit U.J.D. D. Paschalis Jacobelli vir supradictæ D. Rachelis, filiæ & coheredis D. Nicolai Maselli, instrumentum contra suam uxorem minime rescindi posse, ob moram tantummodo a D. Archangela, sorore altera & coherede, in solvendo suam partem annuorum ducatorum 20 commissam; namque defuncto patre, hereditatem inter ipsos familiæ erciscundæ judicio divisam fuisse ait, divisumque pariter debitum, *fol.*43. Ad hanc rem produxit syngraphas, sive apochas de recepto ab eodem D. Joanne Genovino subscriptas ab anno 1762. ad annum 1772., quibus fassum fuisse elicitur, se recepisse per manus præfati D. Paschalis Jacobelli ab hereditate qu. D. Nicolai Maselli annuos ducatos decem ad complementum ann. duc. 20. *fol.* 32. His omnibus perpensis, ac inspecta quoque fide depositi Banci Pauperum ducatorum 20. penes acta exhibita, pro illis solvendis dicto D. Joanni ex causa annuorum decem decursorum in

in annis 1773. & 1774. per D.Archangelam debitorum, *fol.* 37., ceterisque actis:

M. C. V. in Civilibus declarat: *D. Rachelem, atque D. Archangelam sorores germanas de Masselli, & coheredes qu. D. Nicolai eorum patris, condemnandas fore, stipulatione commissa, resciβoque contractu, ad solvendum in bonis hereditariis ejusdem D. Nicolai in beneficium D. Joannis Genovino, nomine ut ex actis, nedum ducatos* 400 *capitalis, verum etiam tertias usque huc ab ipsis decursas; nempe ducatos* 400 *collocandos in tuta emptione, tamquam pecuniam dotalem, ceteras vero quantitates utpote fructus illorum in beneficium ejusdem D. Joannis libere.* Nam licet prædictæ sorores de Masselli paternam hereditatem, pariterque debitum illius, familiæ ercifcundæ judicio, inter seipsas divisissent, nihilominus juris œconomia sancitum legitur, quod si unus ex heredibus debitoris portionem suam solverit, tamen tota res pignori data venire poterit, quemadmodum si ipse debitor portionem solvisset, ut ex *Pomponio lib.* 35. *ad Sabinum in L. Si necessarias, §. si unus, D. de pignor. act.*, idemque sensisse *Ulpianum lib.* 58., sive melius in Florentinis *lib.* 28. *ad edictum in L. Solutum, §. si creditori, D. eod.* deprehenditur. Actio enim personalis tantummodo contra heredem portionem debiti solventem quiescit, atque extinguitur; hypothecaria vero neutiquam, ut Imperatores *Diocletianus* & *Maximianus* rescripserunt in *L. Unus ex multis* 16. *C. de distract. pign. Unus ex multis debitoribus, qui pignora tradiderat heredibus, quod ab eo personali actione peti potuit, solvendo, res obligatas distrahendi creditori facultatem non adimit*: quam sanctionem ceteræ eorumdem Imperatorum in *LL.* 1. & 2. *C. si unus ex plurib. heredib. &c.* comitantur.

M.C.V. tamen in civilibus censet ob non solutos annuos reditus, sive tertias ad diem in instrumento prædicto con-

condictam, stipulationem fuisse commissam, contractumque rescissum, & legi commissoriæ in eodem instrumento adjectæ locum fuisse factum. Absit dici, legem, sive pactionem commissoriam exoletam fuisse, atque per *Constantinum Imp.* sublatam, damnatamque in *L. 3. C. de pactis pignorum, & de lege commissoria in pignoribus rescindenda*; exolevit namque lex, seu pactio (quæ quidem eadem est) commissoria, at illa, quæ pignoribus adjiciebatur; nam quæ veteribus *fiducia* dicebatur, placuit mediæ Jurisprudentiæ *legem commissoriam* appellare; ex ea enim pignus creditori mancipabatur, translato dominio, ea lege, sive pactione, ut ni pecunia ad diem condictam solveretur, pignus etiam valorem pecuniæ creditæ excedens, apud creditorem perpetuo jure remaneret; quod recte iniquissimum Pio Imperatori visum fuit; meritoque legem, & pactionem talem profligavit. Lex autem commissoria, quæ nisi debitor ad diem condictam pecuniam creditam solvat, stipulationem commissam, & pactionem rescissam declarat, talo recto stare æquissimum atque justissimum est, omnemque moræ purgationem, ut ajunt, jure merito respuere, & explodere. At cum sive jure, sive injuria, introducta sit in foro æquitas quædam, quam aliqui ex Pragmaticis ex jure Canonico exprimunt, aliqui ex juris Civilis fictis illationibus extorquere conantur, quam omnes æquitatem Canonicam adpellitant; ideo ad moræ purgationem, ut ajunt, ex tertiarum solutione, capitalis exsolutionem relaxat, atque suspendit. Æquitas ne sit, quæ tricis, jurgiis, rixis, cavillationibus, atque perditissimis rabulis uberem messem parat, hisque maxime temporibus, an potius cerebrosa æquitas dici mereatur? (de qua perbelle Vir clariss. Christianus Thomasius bis differit), alii videant. Sed cum illa in Foro sit recepta, comprobataque sit per Regalem Constitutionem anni 1738., qua etiam formula decidendi, de-

cre-

cretandique ostenditur; ideo eadem M.C.V. decernit, quod si supradictæ sorores de Maselli infra dies viginti solverint tertias decursas, supersedeatur ab executione solutionis capitalis; ceteroquin exequantur etiam pro pœna in beneficium Regiæ Curiæ, servata forma prædictæ Regalis Constitutionis.

Marius Puca Scriba.

In causa Xaverii de Amicis cum Francisca Toro, & aliis creditoribus. Die 12. Decembris 1774
Referente Domino Judice D. Nilo Malena.

Miserabili beneficio cessionis bonorum locus non est, cum agitur de debitis, quæ ex delicto nascuntur.

XAverius de Amicis, supplici libello S.R.M. porrecto, petiit admitti in Regia Provinciali Audientia ad miserabile beneficium cessionis bonorum; atque Regali Rescripto diei 31. Octobris 1772. mandatum fuit Regiæ Audientiæ, ut de justitia provideret, juxta præscriptum per Regiam Pragmaticam, *fol.*1. Hinc se in carceribus præsentando, alium porrexit supplicem libellum, quo, descriptis creditoribus, iis cessit omnia bona sua, ac denuo institit admitti ad dictum miserabile beneficium, *fol.* 3. Dato termino summario, qui, auditis creditoribus, compilatus est, constitit, Xaverium de Amicis esse miserabilem, *fol.* 4. Ejus autem petitioni obstitit Francisca Toro, contendens, respectu ejus crediti, quod originem habet, provenitque ex delicto, excludendum ipsum esse, *fol.* 12. Re vera ex fide sumpta ab actis Curiæ loci constat, Xaverium de Amicis fuisse condemnatum Præsidio Piscariæ per annos quinque ex inquisitione stupri in personam Franciscæ Toro, & solutioni dotis ducatorum 45, *fol.*38. Nihilominus decreto definitivo Regiæ Audientiæ diei 12. Decembris 1772. fuit ordinatum, ***quod Xaverius de Amicis admittatur ad miserabile beneficium cessionis bonorum, & expleto actu faciendo, servata forma soliti, excarceretur, & expedia-***

diatur in ejus favorem salvaguardia in forma, *fol.*18. Ab hujusmodi decreto appellavit ad M.C.V. Francisca Toro; sed appellatione admissa quoad actum devolutivum, & non suspensivum, *fol.* 17., actum explevit dictus de Amicis, *fol.* 18. Producto libello appellationis, *fol.*25., alia confecta sunt in compilatione novi termini impartiti, *fol.* 40.

Omnia autem sub oculis habens M. C. V. in Aula causarum civilium decernit: *Bene appellatum per Franciscam Toro, & male judicatum per Regiam Provincialem Audientiam in ejus decreto, fol.*18.; *ac proinde eodem suspenso, dicta Francisca Toro utatur jure suo contra Xaverium de Amicis, salvaguardia per dictam Regiam Provincialem Audientiam expedita, non obstante.*

In facto enim constat, debitum per eumdem contractum oriri ex delicto, pro quo fuit condemnatus; & cessioni bonorum introductæ, ut legitur in *Pragmatica* 3. *de cessione bonorum*, ad evitandam duritiem priscarum legum, locus esse non potest, nisi pro ære alieno, causa pecuniæ creditæ. Poterant quippe creditores, attenta lege decemvirali, in corpus suorum debitorum sævire, partes secando; sed quia inhumana lex prædicta visa fuit, lege Pœtilia Papiria anno U. C. CDXXVII., Pœtilio Libone Visolo, & Lucio Papirio Mugillano Consulibus, sancitum fuit, ut pecuniæ creditæ causa, bona debitoris, non corpus, essent obnoxia; Julius Cæsar autem videns, quod dicta lex non liberabat debitores a carceribus, volens plenius debitoribus, inopia deperditis, consulere, & ut plebis gratiam sibi compararet, cavit, ut in posterum fas esset debitoribus, bona sua cedere creditoribus, pœna carceris vetita, ut apud *Sueton. cap.* 42., unde ex rescriptis Imp. Constantini in *L. Quicumque Cod. de serv. fugit.*, & Justini in *L. Cum sit Cod. de sepul. viol.* colligitur, miserabili beneficio locum esse non posse in ære alieno, quod provenit ex delicto.

Et

Et *JC. Ulpianus* in *L. Quoties ff. de pœnis §. generaliter*, ait: *Generaliter placet in legibus publicorum judiciorum, vel privatorum criminum, quæ extra ordinem cognoscunt Præfecti, vel Præsides, ut eis, qui pœnam pecuniariam egentes eludunt coercitionem ordinariam inducant*; & idem ait *JC. Modestinus* in *L. Si sine ff. de in jus vocando*.

Ciarelli Act. Mag.

In causa Creditorum Patrimonii D. Josephi Sorrentino, cum D. Antonio, & Petro Lignola, ut ex actis. Die 20. Decembris 1774. Facto verbo a Domino Judice D. Basilio Palmieri,

Qui merces vendidit, speciali, & expressa hypotheca super easdem reservata, cum constet, neque pretium solutum fuisse, nec habitam de eo fidem; illas apud emptorem adhuc manentes vindicare potest; contra vero obtinet, cum vel fides de pretio habita sit, vel apud emptorem merces non extent.

NOmine Societatis, sive Rationis D. Antonii, & D. Petri Lignola die 26. Novembris 1772. expositum fuit, foro mercatorum cessisse Josephum Sorrentino, in Civitate Nolæ tabernam negotiationis mercium venalium exercentem, per eumdemque fuisse in M.C.V. patrimonium deductum., creditorum concursum efformatum, credita uniuscujusque discussa; & præcipue creditum ipsius Societatis in ducatis 1795, & ass. 62, contentis in duabus litteris executorialibus, vigore quatuor apocharum bancalium expeditis, discussum, admissumque fuisse; & cum sequestrum mercium prædictarum in taberna negotiationis, in Civitate Nolæ existente, ordinatum extitisset, fuerunt postmodum merces inde evectæ, & huc in Regiam Dohanam invectæ; hicque vero expositæ, auctionibus habitis, pro ducatis 613, & ass. 72. venditæ fuere, qui penes acta depositi deinde extiterunt. At cum præfati ducati 1795, & ass. 62, debiti per eumdem Josephum Sorrentino, fuissent pro pretio prædictarum mercium sibi ab ea ipsa Societate venditarum, superque illis, & pretio ab eis perventuro de speciali, & expressa hypotheca cautum fuisset, eædemque merces titulo, sive, ut vulgo ajunt, marca A. P. L. obsignatæ

fuissent (quæ litteræ Antonium, Petrum Lignola denotabant); proinde institit Societas, tanquam creditrix potioris juris super prædicto pretio deposito, istum præ ceteris creditoribus sibi liberari, *fol.* 1. Creditorum autem aliorum nomine oppositum fuisse liquet ex actis, nunquam ante hac per societatem deductum, merces titulo prædicto fuisse signatas; neque enim hoc dictum fuisse sequestri tempore, neque tempore evectionis e taberna negotiationis in Civitate Nolæ existente, nec quando auctionibus habitis, merces ipsæ in hac Regia Dohana venditæ, traditæque emptoribus fuerunt; propterea figmentum hoc esse declarari petiisse, legitur, *fol.* 12.; indeque in tributum, sive distributionem cum ceteris creditoribus, secundum temporis anterioritatem, & scripturarum prærogativam, super illo societatem vocari debere. Super hisce omnibus dato termino ordinario, examinatisque quamplurimis testibus per Societatem prædictam, & præcipue emptoribus earumdem mercium, conata ipsa est probare, merces fuisse signo A.P.L. munitas, eodemque titulo signatas esse merces omnes extra Regnum huc ad Societatem ipsam transmitti solitas, *fol.* 40. Attamen per credirores exhibita est copia auctionis prædictæ in Regia Dohana expletæ, & actu consignationis prædictarum mercium emptoribus factæ, ex quibus patet merces ipsis venditas, atque consignatas, minime eas esse, quas emisse in eorum attestationibus simulate deponunt, paucissimis exceptis, *fol.* 61. His igitur, ceterisque actis visis &c.

Quanquam explorati juris sit, non aliter accipientis fieri, quod venditum est, quam si aut pretium solutum sit, aut satis eo nomine factum, aut fides emptori habita sit sine ulla satisfactione, ut *Pomponius lib.* 41. *ad Quintum Mutium* ait in *L. Quod vendidi, D. de contrah. emption.*; attamen quia ex apochis per Societatem in actis exhibitis constat, fidem habitam fuisse Josepho Sorren-

rentino fine pretii satisfactione; proinde merces ipsas ejusdem Josephi factas fuisse, super hisque creditores omnes ipsius cum Societate per tributum concurrere, juri consonum est. Et licet iniquum sit, mercium dominum, venditoremque in tributum, sive in concursum vocari, cum constet super merces venditas hypothecam specialem, & expressam, superque pretium ipsarum sibi reservasse, proindeque in creditum non abiisse; attamen verum, atque certi juris esse hoc ex *Ulpiani* sententia *lib.* 29. *ad Edictum*, sive *ex L. Procuratoris* 5. *§. Sed si dedi*, *D. de Tributoria actione*, manifestum est, quoties merces ipsæ apud emptorem extent; nam licet lex domino venditori mercium, illas vindicare permittat, ære non soluto, vel alias non satisfacto, cum in vendendis mercibus in creditum non abiit, seu fidem de pretio non habuit; requirit tamen lex ipsa, ut merces apud emptorem, cui per dominum venditæ fuerunt, permaneant, atque extent. At ex actis patet, nedum merces non existere, sed neque probatum esse, merces in taberna negotiationis Josephi repertas, & in Regia Dohana venditas illas ipsas fuisse, quas Societas eidem Josepho vendidisse asserit. Immo patet ex ipsis apochis, in actis exhibitis, minime constare qualitatem, neque quantitatem mercium, sed tantummodo Josephum se debitorem constituere *pro pretio tantarum mercium*, ideoque in tributum, sive in concursum venire, justissimum esse dignoscitur. Ultra quam quod inficiari nequit, adesse apocham ducatorum 811, & ass. 85, in qua absolute, & clare legitur Societatem de tali summa in creditum abiisse, sive fidem habuisse de *pretio tantarum mercium*; hineque colligi fas est, quod etiamsi merces prædicto titulo signatæ fuissent, nequaquam Societas jure expetere potuisset potioritatem super pecunia penes acta deposita, cum neutiquam constet, num ex mercibus hypothecæ speciali submissis, vel ex illis ipsis in prædicta

apocha, in qua habita fuit fides de pretio, contentis, illa exsoluta sit.

Ideo M.C.V. in Civilibus decernit: *Patrimonium, & Creditores Josephi Sorrentino absolvendos esse ab impetitis per Societatem, seu Rationem D. Antonii, & D. Petri Lignola; decernitque, eos in tributum, seu concursum cum ceteris creditoribus ejusdem Patrimonii super pretium prædictarum mercium vocandos esse, secundum temporis, & scripturarum prærogativam. Quoad nuperam autem prætensam prærogativam contentam in apochis prædictis, utpote trino teste signatis, per Societatem deductam die 17. Junii labentis anni, post terminum expletum; & in causa conclusum, & publicatum, in supplici libello fol. 85., M. C. ipsa explicando provisionem reservatam per Dominum causæ Commiss. in decreto diei 23. ejusdem mensis Junii, dict. fol. 85. a t., decernit in biduo audiendos esse tam Creditores prædictos, quam Societatem, sive Rationem D. Antonii, & D. Petri Lignola; & cautionem præstandam per Creditores ipsos tempore liberationum dictorum duc. 613, & ass. 72. remanere etiam pro securitate ejusdem Societatis, viso exitu termini prædicti.*

Cimino Act. Mag. Tagliaferri Scriba.

In causa D. Isabellæ Cannoniero viduæ qu. D. Aloysii Cimino cum D. Januario Cimino. Die 20. Decembris 1774.
Facto verbo a Domino Judice D. Nilo Malena.

Declaratio, quæ favore viri a dotante fit, dotem minorem fuisse ea, quæ soluta adparet; dotatæ non nocet, cum, ea inscia, facta sit.

EX instrumento capitulorum matrimonialium magn. D. Isabellæ Cannoniero, rogato die 5. Aprilis 1763. patet, D. Crispinum Cannoniero constituisse dictæ D. Isabellæ ejus filiæ dotem ducatorum 700, nempe 500. de pecunia numerata, incluso subsidio maritali, vulgo *maritaggio*, ducatorum 50, solvendo a Monte de Mazzullo, & ducatos 200. in pretio mobilium, pro quocumque suo

suo jure, parte, legitima, paragio, & supplemento, & a magn. D. Aloysio Cimino, tunc ejus futuro viro, fuisse constitutum antefatum, servata forma Regiæ Pragmaticæ *fol. 9*. Ex alio instrumento rogato die 23. Februarii 1771. manu Notarii Josephi Trigiani, liquet, receptis ducatis 650, D. Aloysium declaravisse, pro complemento dotium solvendos sibi esse tantum ducatos 50. subsidii maritalis: liquet etiam, D. Isabellam, consentiente ejus viro, renunciavisse omnibus successionibus & juribus favore patris & dotantis D. Crispini, *fol. 7*. Publicis hisce scripturis privata declaratio accessit D. Crispini adfirmantis, dotem vere constitutam D. Isabellæ ejus filiæ, eidemque solutam, fuisse ducatorum 500, *fol. 16*.

Morti proximus testamentum fecit D. Aloysius clausum die 15. Januarii 1773., ac post ejus obitum apertum die 5. Februarii ejusdem anni manu Notarii Joannis Servillo a Neapoli, quocum heredem ex asse instituit D. Januarium Cimino ejus germanum fratrem, cum onere restitutionis dotium dictæ D. Isabellæ, olim ejus uxori, temporibus a lege statutis, in summa vere soluta, non autem in summa apparenti ex receptione dotali; & solutionis antefati juxta dotes receptas, servata forma Regiæ Pragmaticæ; ac aliorum duc. 20. pro una vice pro vestibus lugubribus, *fol. 62*.

Recepit D. Isabella ducatos 200. in tot bonis mobilibus, & liberavit pro hac summa D. Januarium heredem D. Aloysii, ut ex instrumento rogato die 22. Februarii 1773. *fol 15.*; sed die 22. Aprilis ejusdem anni libello producto in M. C. petiit a D. Januario restitutionem ejus dotium, una cum legitimo interusurio, assignamentum, & solutionem antefati, vestes lugubres, ac lectum viduatum, *fol. 6*. D. Januarius contra asserens, nonnulla bona e domo viri subrepta fuisse a vidua D. Isabella, institit, vel ut ei restituerentur, vel ut eorum pretium detraheretur ex reliqua summa ab eadem D. Isabella, causa

sa ejus dotium consequenda: & præterea oppofuit, dotes fuisse ducatorum 500, non autem 700, pro quorum complemento, cum folvisset ducatos 200, tantum ducatos 250. folvere debebat; nam ducati 50. fubfidii maritalis adhuc foluti non erant, *fol.* 12. Re vera ex fide Cancellarii Montis de Mazzullo conftat, non esse fequutam folutionem dicti fubfidii maritalis, attenta lege Fundatoris mandantis, esse fubfidium maritale dandum puellis prius nuptis, *fol.* 17.

Dato termino ordinario, *fol.* 19., is idem D. Januarius laudavit in auctorem D. Crifpinum patrem D. Ifabellæ, quippe qui declaraverat, dotem fuisse ducatorum 500; atque petiit, ut cum eo judicium compilaretur; ipse enim auctor laudatus, assumendo onus litis, indemnem reddere tenebatur hereditatem D. Aloyfii a quacumque molestia pro ducatis 200. non folutis, *fol.* 45. Libellus, quo hæc deduxit D. Januarius, notificatus fuit D. Crifpino, *fol.* 50; sed cetera acta, usque ad expeditionem causæ, compilata funt, nec monito, nec audito eodem D. Crifpino auctore laudato.

Hisce omnibus perpenfis, M. C. V. in Civilibus fequens protulit decretum:

Condemnetur D. Januarius Cimino, heres dicti qu. D. Aloyfii ejus germani fratris, ad folvendum ex bonis hereditariis ejusdem ducatos 450. *viduæ D. Ifabellæ Canoniero, pro refiduo ejus dotium in fumma ducatorum* 650. *vere folutarum; & interufurium tam dictorum ducatorum* 450., *quam antefati, pro tertia parte dictorum duc.* 650. *dotium vere folutarum, pro quantitate, & tempore liquidando; pro qua liquidatione in biduo audiantur partes: & ad folvendum dictæ D. Ifabellæ ducatos* 20. *eidem relictos a dicto qu. D. Aloyfio viro in præcitato teftamento pro veftibus lugubribus, quæ abfolvatur ab impetitis pro parte dicti D. Januarii: & pro obfervantia Regalis Conftitutionis de anno* 1738. *ipse D. Ja-*

D. Januarius condemnetur ad litis expensas.

In facto enim constat de promissione ducatorum 700. dotis nomine facta in capitulis matrimonialibus die 5. Aprilis 1763., ac de confessione receptionis ducatorum 650, ut ex instrumento de die 23. Februarii 1771.; unde declaratio, quæ asseritur facta die 24. Februarii ejusdem anni a dicto D. Crispino, qua confitetur, dotem constitutam D. Isabellæ ejus filiæ fuisse in solis ducatis 500, ei minime nocere potest. In jure enim cautum reperitur, pacta conventa tempore constitutionis dotis esse servanda; constituta vero dote, inscia dotata, non esse curanda, ut ex *Legibus 7. de pact. dotal. &* 7. *Cod. de jur. dot.*; unde Paulus in *L.* 28. *dicto tit.* ait, *post nuptias pater non potest deteriorem causam filiæ facere*; & Proculus in *L. Actilicinus de pact. dotal.* dixit, *meliorem conditionem mulieris fieri posse, deteriorem non posse*. Constat etiam de constitutione antefati, seu lucri dotalis juxta Pragmaticam diei 30. Decembris 1717. sub *tit. de donat. propter nupt.*; & ex eo quia dos vere soluta fuit in solis ducatis 650, ideo pro dicta summa vere soluta antefatum dictæ D. Isabellæ debetur, ut in *Auth. Sed quæ nihil Cod. de pact. convent.*, & in *Nov.* 2. *cap. ult.* Constat pariter de legato ducatorum 20. facto a D. Aloysio D. Isabellæ suæ uxori pro vestibus lugubribus, unde merito pro executione voluntatis ejusdem dictus D. Januarius heres tenetur ad solutionem: salvis juribus, si quæ competunt, in alio judicio dicto D. Januario contra D. Crispinum Cannoniero pro prætensis & deductis in comparitione *d. fol.* 45.

Pauli Act. Mag. Servillo Scriba.

In

In causa interpositionis decreti petiti per Ill. Marchionem D. Octavium Costa cum magn. Advocato D. Ferdinando Sergio Curatore. Die 24 Januarii 1775. Facto verbo a Domino Judice D. Philippo Mazzocchi, junctis Aulis.

Cum integra hereditas fideicommisso subjecta sit, etiam prælegata fideicommisso comprehenduntur.

D. Ignatius Costa ejus testamento perpetuum fideicommissum instituit super omnibus ejus bonis, ordinavitque reciprocam substitutionem inter ejus filios masculos heredes pro æquali parte, cum quis eorum absque filiis decessisset, & vetuit expressim quamcumque distractionem eorundem bonorum, ut perennitati suæ familiæ, & decori ejusdem prospiceret. Eadem vero oratione addidit, ut D. Octavius ejus filius primogenitus, præter ejus portionem, præcaperet ducatos 10000, si masculus nasceretur ex uxore testatoris prægnante; 15000. vero, si esset fœmina: & deinde voluit, ut idem fideicommissum, deficientibus masculis, ad fœminas extenderetur, cum eisdem vinculis, quibus perpetuam conservationem omnium ejus bonorum heredibus, & descendentibus jam supra inculcaverat, *fol 7*.

D. Octavius filius primogenitus institit pro præceptione ducatorum 10000. libera a fideicommisso, *fol* 1.: cui quidem petitioni annuit Curator ad hunc actum datus, *fol.* 16.

Inspectis vero omnibus actis, per M. C. V. junctis Aulis provisum & decretum est: *Non esse locum petitis*. Prælegata enim in fideicommisso comprehendi statutum est tam in *L. Cum virum* 16. *C. de fideicomm.*, quam in *L. Marcellus* 3. §. 4. *ad S.C. Trebell.* Eo vel magis, quod præceptio prædicta iis legitur concepta verbis, ut potius accessio portionis primogeniti fideicommisso subjectæ esse videatur. Nec ad rem facit *Lex Titia* pro se ab actore allegata, nam quamvis ex ea habeatur, ut præceptio legata post fideicommissum sit ab eodem immunis, ipsa tamen lex in actorem retorquetur; in casu enim de quo agitur, non tantum ante legatam præceptio-

ptionem fideicommissum fuit institutum, sed etiam post eam iteratum cernitur, & ad fœminas extensum; unde merito ex hac ipsa lege, præceptionem fideicommisso contineri evincitur.

Cenatiempo Act. Mag. Fusco Scriba.

In causa D. Xaverii de Neyla cum Ven. Monasterio SS. Severini, & Sossii hujus Civitatis. Die 6. Martii 1775.
Facto verbo a Domino Judice D. Basilio Palmieri.

Ad validitatem emphyteusis non est necessaria scripturæ solemnitas.

D. Xaverius de Neyla institit sibi exhibendum fore per RR. PP. Monasterii Divorum Severini, & Sossii hujus Civitatis, Congregationis Cassinensis, titulum exactionis annuorum ducatorum 11, & ass. 50, ipsis huc usque exsolutorum ex domo collocata in regione appellata vulgo *il Cavone di S. Efrem*, per eum possessa, & quæ sibi obvenit a suis majoribus, *fol.* 1. Dato termino ordinario, *fol.* 4., deduxerunt RR. PP., præfatam domum retroacto ævo emphyteuticario jure per Monasterium concessam familiæ de Tancredi, & per eamdem venditam anno 1663. Andreæ Raguantes, per ipsumque Monasterio solutum nedum canonem, sive pensionem annuorum duc. 11, & ass. 50, verum etiam laudimium in dominii directi recognitionem ex Banci S. Eligii majoris hujus Civitatis apochis liquere; ac porro ab familia Raguantes hereditario jure in familiam de Neyla derivatam, ab utraque anno quolibet ab anno 1663. usque in præsentiarum canonem sive pensionem Monasterio exsolutam esse ex eisdem Banchi apochis in propatulo esse, proindeque possessionem centenariam, immo immemorabilem pro justo titulo habendam, & ad contractum emphyteuseos ostendendam diffiteri minime posse, *fol.* 8. Apochas revera exhibuerunt Patres *fol.* 10., & præcipue illam de die 11. Septembris 1663. *fol.* 10., ex qua visitur, exsolutum fuisse per dictum Andream Raguantes lau-

laudimium, quod Græcis est εἰσδεκτικόν, Monasterio prædicto.

Inspectis itaque omnibus actis, M.C.V. in Civilibus Aulæ Decanæ censet, *supradictum D. Xaverium de Neyla condemnandum esse ad continuandam solutionem annui canonis, sive pensionis emphyteuticæ ducatorum* 11, *&* *assium* 50. *in beneficium dicti Monasterii SS. Severini, & Sossii hujus Civitatis. Declaratque eadem M.C. præstationem præfatam emphyteuticario jure deberi ex dicta domo præfato Monasterio.*

Minus recte aliquibus ex Pragmaticis opinio insedit, architectum, sive emphyteuseos contractus inventorem Imperatorem *Zenonem* fuisse; erat enim veteribus ille frequentissimus, dicebaturque vectigalis, quem & emphyteutecarium quoque placuit appellari; proindeque agri, qui sive per Civitates, sive per municipia perpetuo concedebantur, condicto vectigali, *agri vectigales, vel emphyteuticarii*; sive ut melius legitur in Florentinis, *agri vectigales, id est emphyteutecarii* appellabantur; unde & *Paulus*, & *Ulpianus* in titulo Pandectarum, *Si ager vectigalis, id est emphyteutecarius petatur*, characterem, atque naturam agrorum vectigalium, vim, effectumque concessionis eorum tradunt, atque describunt. Apud veteres enim per civitates, & municipia dabantur agri steriles, & deserti ad colendum, quia & ipsæ civitates, & municipia illos vel colere nequibant, vel nolebant. At cum deinde Italia, & magna pars Romani Imperii per Vandalorum, Gothorum, Rugianorum, aliarumque barbararum gentium incursiones devastatæ fuerint, & agri pene omnes steriles, desertique jacerent, placuit etiam privatis illorum dominis ad colendum, sive ad implantandum, & inserendum illos dare. Et quamquam initio agri solummodo steriles & infoecundi alii colendi, plantandi, serendique tradebantur, quotannis conventis vectigalibus, sive pensione, vel

vel ad tempus, vel in perpetuum, ea lege, ut quamdiu pensio solveretur, tamdium ab eis possessores deturbari non liceret; temporis deinde successu placuit idem jus ad prædia culta & fœcunda porrigere, immo ad urbana, & ideo de vectigalibus ædibus loquitur Ulpianus in *L. Si finita* 15. *§. si de vectigalibus* (*ædibus*, ut legitur in Florentinis) *D. de damno infecto*. Dubitabatur vero quænam contractus species esset, locatione, an venditio; propterea ad jurgia tollenda, atque sedanda placuit *Zenoni* proprio & peculiari nomine illum emphyteuseos contractum appellare in *L.* 1. *C. de jure emphyt.*; adjecitque postmodum Imperator Justinianus alia plura ad illum magis informandum, explanandumque in *L.* 2. *&* 3. *C. eod. tit.* Igitur contractus emphyteuseos nedum de rusticis prædiis, & infœcundis, verum & de fertilibus, & de urbanis fieri, moribus, & jure liquet.

Neque ad illum probandum instrumenti concessionis opus esse certum est: bonæ fidei contractus ipse est, & in hisce contractibus scripturæ solemnitas nusquam requiritur, ut Paulus testatur *lib.* 2. *sententiar. tit.* 17. *§.* 14; propterea jure merito ait Justinianus in *L.* 3. *Cod. cit. tit.*, amissionem instrumenti emphyteuseos non nocere, neque opus esse amissionem probare, sed tantummodo non licere emphyteutæ sine consensu domini emponemata, sive meliorationes aliis vendere, vel jus emphyteuticum transferre; ex quo argumentum certissimum promanat, instrumentum necessarium ad jus emphyteuticum ostendendum minime esse. Minus enim in causa, qua de agitur, ambigi potest, contractum non esse emphyteuseos; liquet siquidem præstitum, solutumque fuisse anno 1663. εἰσδεκτικόν, sive quod barbaro vocabulo *laudimium* appellitatur, pro quinquagesima parte emponematum, sive meliorationum, quæ Justinianus per emphyteutam solvi edixit in *L.* 3. *Cod. ejusd. tit.*, semper

ac directus dominus in illarum emptione præferri renuat; de hujuscemodi contractibus emphyteuticis tantummodo laudimia solvuntur, quotiescumque domino directo consentiente, præferrique respuente, jus emphyteuticum alienatur. Et quamquam postea domus ex familia Raguantes in illam de Neyla translata videatur; attamen quia hereditario jure translationem hanc successisse ex supradictis scripturis constat; proinde jure optimo laudimium nunquam deinde præstitum visitur; nam in certis alienationis speciebus quinquagesimam exsolvi statutum legitur, at in hereditariis præcipue successionibus, neutiquam.

Cenatiempo Act. Mag. Eldes Scriba.

In causa interpositionis decreti petiti per D. Hierardum Pennafilico, & D. Hippolytam Salerno conjuges, ac per D. Joannem Felicem Pennafilico. Die 14. Martii 1775. Junctis Aulis.
Referente Domino Judice D. Nilo Malera.

Ex bonis fideicommisso obnoxiis dotes debentur non solum filiabus, verū etiam ulterioris gradus descendentibus.

DOctor D. Hierardus Pennasilico, & D. Hippolyta Salerno conjuges, ac eorum filius D. Joannes Felix Pennasilico Magistratus auctoritatem imploraverunt, ut super bonis hereditariis qu. D. Dominici Salerno, ad dictam D. Hippolytam filiam derivatis, mutuo, sive ad annuum redditum possent accipere ducatos 2000, liberos a vinculis, substitutionibus, ac fideicommisso institutis a dicto qu. D. Dominico, quam a qu. Carolo dicti D. Dominici patre, pro nuptui tradenda D. Anna Maria Pennasilico eorum filia, & sorore, *fol.* 1. Regali Rescripto obtento, ac probationibus factis, ex quibus habetur, D. Hierardum nihil possidere, & bona D. Hippolytæ obventa in summa ducatorum 5000. circiter a dictis qq. Carolo, & Dominico Salerno, esse obnoxia fideicommissis ab iisdem ordinatis; habetur etiam, ex matrimonio inter D. Hierardum, & D. Hippolytam usque ad-

adhuc tres procreatos esse filios, D. Joannem nempe, D.Annam Mariam, & D.Raphaelem, *fol.6.* & 86.; magn. Curatores, qui ad tuenda jura futurorum vocatorum dati sunt, assenserunt, unus scilicet pro summa ducatorum 1000, *fol.* 70., alter pro summa minori, per M.C. taxanda, *fol.*76.

Inspectis itaque omnibus actis, M. C. V. declarat, quod *expedit, ac proinde liceat conjugibus D. Hierardo Pennafilico, & D. Hippolytæ Salerno, ac D. Joanni eorum filio mutuo, sive ad annuum redditum accipere ducatos* 600, *& pro eis hypothecæ submittere bona dictis fideicommissis obnoxia, hereditaria qq. Caroli, ac Dominici Salerno, cum annuo censu, sive interusurio favore mutuantis, sive ad annuum redditum pecuniam dantis, ad rationem melius conveniendam, non excedentem summam ducatorum quinque pro singulis centenis, non obstantibus vinculis, conditionibus, ac fideicommissis in testamentis dictorum qq. Caroli, ac Dominici contentis: qui ducati* 600. *remaneant conditionati pro illis solvendis futuro viro D. Annæ Mariæ Pennafilico pro suis dotibus, cum debitis cautelis, stipulandis ad consilium sapientis, ac de præsenti decreto fiat notamentum in margine testamentorum qq. Caroli, ac Dominici Salerno; quod non exequatur, nisi facto verbo in S. R.C. junctis Aulis.*

Ex actis constat, dictum D. Hierardum non possidere bona, & illa quæ ad dictam D. Hippolytam pervenerunt ex hereditatibus qq. Caroli, ac Dominici Salerno, avi & patris respective, esse obnoxia fideicommissis in dictis eorum testamentis contentis, unde attenta dispositione *Auth. Res quæ C. comm. de leg.* sumpta ex *Novell.* 39. *sub tit. de restit.*, ut ea quæ parit undecimo mense post mortem viri *cap.* 1. possunt bona dictis fideicommissis obnoxia, & quæ subjacent restitutionibus, alienari, & obligari; quidquid aliqui dixerint, scilicet pro filiis primi gradus tantum esse permittendum; nam in no-

nostris Tribunalibus semper fuit contrarium servatum: & merito dixit Paulus in *L.* 23. *de Legib. Senatusque Consult.* minime sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt; & M. C. habito respectu ad facultates, & numerum filiorum, præ oculis habens monitum Celsi in *L. Quæro* 60. *de jure dot.* illis verbis, *quousque ratio patitur*, censet pro dicta summa ducatorum 600. esse dotem taxandam; nam legitima dictæ D. Annæ Mariæ, si mater ex hac vita migrata fuisset, vix ad dictam summam ascenderet.

Scoppa Act. Mag.

In causa interpositionis decreti pro D. Philippo Cirillo. Die 18. Martii 1775. Facto verbo a Domino Judice D. Vincentio Boroggine.

In liquidatione legitimæ filiæ a successione exclusæ faciunt partem, licet ad partem non admittantur.

D. Dominicus Cirillo testamento clauso die 24. Novembris 1760., & post ejus obitum aperto die 28. Octobris 1768. per Notarium Cajetanum Coppola hujus Civitatis, heredem instituit D. Philippum Cirillo filium, ipsique substituit D. Angelam, & D. Claram Cirillo filias, earumque filios, casu, quo institutus sine filiis legitimis & naturalibus decederet; ita tamen, ut conditione substitutionis existente, posset institutus libere disponere ducatorum 4000; ac insuper declaravit, bona mobilia, argentea, aurum, nomina debitorum, & ea omnia quæ domi extabant, substitutione non comprehendi, & heredem institutum libere posse de illis disponere, dummodo tamen D. Theresiæ Franzese uxori testatoris hujusmodi bonorum usus, dum vitam ageret, concederetur, *fol.* 3. Instante D. Philippo, die 23. Augusti 1774. M. C. declaravit, ipsi deberi legitimam liberam, & sine ullo onere super bonis paternis, termino ordinario liquidandam, audito magn. Curatore futurorum vocatorum D. Alexandro Puoti, ac omnibus substitu-

ſtitutis, *fol.*27. Probationes is explevit, ex quibus evincitur, teſtatori quatuor filios ſuperſtites fuiſſe, ipſum ſcilicet D. Philippum, D. Angelam, & D. Claram, vivo adhuc patre nuptui datas, ac D. Eliſabetham, pariter vivo patre in Cœnobio SS. Petri, & Pauli hujus Civitatis oblatam; dictum teſtatorem reliquiſſe mobilia numero, & æſtimatione exigua, ac teſtatorem ipſum, poſt conditum teſtamentum, negotiationem, quam exercebat, intermiſiſſe, & omnem pecuniam, ad negotiationem adhibitam relegiſſe; necnon heredem inſtitutum ſex filios, adhuc viventes, procreaſſe, *fol.* 32.

Ex æſtimatione demandata decreto diei 5. Decembris 1774. Regio Proxenetæ Raphaeli Manecchia *fol.*40, & relatione ejuſdem habetur, redditus fiſcales ſummam attingere ducatorum 22500, *fol.*41.; ſtabilia vero bona ducatis 4923. æſtimavit Regius Architectus D. Nicolaus del Giacomo adhibitus ad hanc rem ex alio decreto diei 5. Decembris 1774. *fol.*45. *&* 46. Præterea conſtat ex relatione confecta ab Act. Mag. Buonocore, totum aſſem hereditarium D. Dominici Cirillo, deductis oneribus, ſummam æquare ducatorum 47808, & aſs. 57.; legitimam vero dicti heredis pro tertia parte, deductis ducatis 4600. ab ipſo diſtractis, ſummam ducatorum 11360, & aſs. 19. *fol.*123.

Inſpectis autem inſtrumentis renunciationum prædictarum filiarum in beneficium teſtatoris, *fol.* 53.; comparitione magn. Curatoris, qua conſenſit præſtari dicto heredi pro complemento legitimæ ducatos 10876, *fol.* 128., ac ceteris actis; per M. C. fuit proviſum & decretum: ***Legitimam debitam D. Philippo Cirillo ſuper bonis hereditariis D. Dominici ejus patris eſſe liquidandam in ſumma ducatorum* 15426, *vigore Novellæ Conſtitutionis de Triente, & Semiſſe cap. I.; a quibus tamen deducantur ducati* 4600. *jam diſtracti per dictum D. Philippum: & reliquis ducatis* 10826. *liceat ipſi libere uti ſuper***

super bonis hereditariis dicti qu. D. Dominici, quasi nihil eorum testamento additum esset, L. Quoniam in prioribus 32. C. de inoffic. testam.; reliquae vero duae tertiae partes praedictae hereditatis remaneant subjectae vinculis in dicto testamento contentis: Filiae enim exclusae a successione non admittuntur ad partem, licet faciant partem, itaut quidquid ipsis feminis deberetur titulo legitimae, cedit in beneficium fratrum, non autem fideicommissi, nam feminae excluduntur a successione parentum favore masculorum, Constit. *In aliquibus*, & Consuet. *Si moriatur*; ac proinde quidquid mulieres de paragio dotatae, renunciatione facta, non capiunt, masculis adquiritur, argumento *L. Servo legato 69. §. si testator D. de legat. 1. L. Fideicommissa 2. §. interdum D. de legat. 3.* juxta *L. 12. D. de Legib. & Sen. Cons. Verum non exequatur, nisi facto notamento in margine testamenti D. Dominici Cirillo, & in libris magn. a Secretis M.C.V.*

Seliciano Act. Mag. Buonocore Scriba.

In causa decreti Praeambuli qu. Rev. D. Dominici Todisco. Die 8. Aprilis 1775. Facto verbo a Domino Judice D. Vincentio Boraggine.

Jus repraesentationis ex Consuetudine hujus Civitatis extenditur in infinitum in linea collaterali.

PAschalis, Vincentius, Januarius, Franciscus, & Thomas Todisco petierunt praeambulum ab intestato Rev. D. Dominici Todisco eorum patrui; petierunt etiam nullam declarari donationem quarumdam aedium, cum onere missarum factam mense Junio anni 1746. D. Benedicto Mango a dicto D. Dominico, ex praescripto novissimarum legum, quae *amortizationem* respiciunt, *fol. 1. & 5.* Ex testium depositionibus in termino summario productis liquet de morte intestata ipsius D. Dominici, ac de ejus proximioribus *fol. 25.*; respectu vero donationis aedium excepit donatarius, hanc non incidisse in legem, qua nova rerum dominia Locis Piis adipisci vetitum est, *fol.*

*fol.*35. Inſpectis autem aliis teſtium in termino ordinario productorum depoſitionibus, *fol.*48., ac conſenſibus præſtitis per Dominicum Todiſco filium qu. Franciſci, & nepotem ex fratre prædicti qu. Rev. D. Dominici, & per Angelam, & Antoniam Todiſco filias qu. Chriſtophori ſimiliter germani fratris, & per Angelam, & Annam filias qu. Joſephi alterius germani fratris prædicti defuncti, *fol.*4. *&* 57., ac ceteris actis; M.C.V. decrevit: *Interponatur præambulum Rev. D. Dominici Todiſco ab inteſtato pro tertia parte in beneficium Paſchalis, & Vincentii Todiſco ejus nepotum ex Chriſtophoro fratre dicti D. Dominici; pro alia tertia parte in beneficium Franciſci, Januarii, & Thomæ Todiſco pariter nepotum ex Joſepho ſimiliter fratre ejuſdem defuncti; & pro alia tertia parte in beneficium Juliæ, ac Annæ Ruſſo proneptum dicti D. Dominici ex perſona Thereſiæ Todiſco filiæ Thomæ Todiſco, alterius fratris ipſius D. Dominici*. Quamvis enim jure communi in linea collaterali jus repræſentationis filios fratrum non egrediatur, *Nov.* 118. *cap.* 3.; providentia tamen Conſuet. *Sed ſi morienti, de ſucceſſ. ab inteſtato*; idem repræſentationis jus in hoc Regno in infinitum progreditur. *Reſpectu vero prætenſæ nullitatis, ac invaliditatis donationis prædictæ, ſint ipſis de Todiſco, & Ruſſo ſalva jura in alio judicio. Nihil pro expenſis*.

Vitale Act. Mag. Punſillo Scriba.

In cauſa interpoſitionis decreti pro D. Nicolao de Ruggieri. Die 2. Maji 1775. Facto verbo a Domino Judice D. Baſilio Palmieri, junctis Actis.

INſtiterunt in M.C.V. D. Nicolaus, & D. Januarius germani fratres de Ruggieri hujuſce Civitatis ſub die 27. Auguſti anni 1774. declarari extinctum fideicommiſſum ſingulare per qu. Cæſarem de Ruggieri in inſtrumento donationis diei 5. Martii 1621. ordinatum, atque inſti-

Qui filiorum fidei commiſit, ne bona quædam alienarent, ſed pro eorum heredibus & ſucceſſoribus de familia perpetuo

servarent, non videtur respexisse, præter rectam, etiã obliquam ipsius familiam. Cum vero extincta jam recta familia, ex obliqua unus tantum superfit, cui descendentes desunt, nulli dubium est, quin in hujusce personam fideicommissum extinguatur.

tutum super territorio, amplitudinis sive extensionis jugerum circiter septem, collocatum extra mœnia hujus Civitatis, in regione nuncupata, contra hospitium, sive in prospectu hospitii equitatus Regiorum militum, vulgo dicti *Pontis Magdalenæ*, *fol.*1.; pro qua declaratione, obtento prius rescripto Regalis Cameræ S.Claræ de die 22. Augusti 1774., *ut M.C.V. junctis Aulis, servata forma Regiæ Pragmaticæ, super supplicatis per eosdem de justitia provideret*, *fol.* 7., exemplum instrumenti præfatæ donationis exhibuerunt, *fol.* 9.; fuitque deinde datus terminus ordinarius, audito U.J.D. D.Belisario de Bellis, ut jura futurorum vocatorum in fideicommisso prædicto tueretur, *fol.*21. Ex termini compilatione hæc, quæ sequuntur, liquent.

Cæsar de Ruggieri, cum duos filios masculos haberet, Agnellum nempe, & Stephanum, ipsis inter vivos præfatum territorium donavit, instrumento rogato per qu. Notarium Joannem-Nicolaum Caulino Neapolitanum civem sub die 5. Martii 1621., prohibitione alienandi ipsis, eorumque heredibus, & successoribus indicta sequenti formula: *Che nè detto Aniello, e Stefano, nè ciascuno di essi per nullo futuro tempo, nè per qualsivoglia causa urgentissima, necessaria, e privilegiata etiam dalla legge concessa possano lo detto orto con casa per detto Cesare ad essi ut supra donato in perpetuum col presente istrumento di donazione, in tutto, nè in parte vendere, alienare, donare, permutare, pignorare, nè farne altra distrazione, ma quello debba sempre, & in perpetuum restare, essere, e permanere di esso Aniello, e Stefano, e loro eredi, e successori della famiglia de Ruggieri in infinitum, atteso con tale condizione detto Cesare ave fatta, e fa la presente donazione, altrimenti non l'avria fatta*, *fol.* 11.

Hujusce enim donationis titulo acquisita fuit per Agnellum, & Stephanum territorii, domorumque possessio; indeque

que idem Cæsar, testamenti tabulis clausis sub die 23. Februarii 1542., apertisque atque publicatis die 24. Septembris ejusdem anni per qu. Notarium Joannem de Leonardis hujusmet Civitatis, eosdem Agnellum, Stephanumque heredes ex asse æquis partibus instituit, illosque invicem substituit, sine filiis legitimis, & naturalibus iisdem decedentibus, *fol.* 34.

Expleverunt deinde supremum diem Agnellus, & Stephanus, nullis relictis filiis, neque maribus, neque fœminis; at cum Cæsar eorum parens quatuor germanos fratres habuisset, Paschalem nempe, Lucam, Vincentium, atque Simonem, qui jam pridem defuncti erant, quo tempore Agnellus, & Stephanus morti occubuere; ideo in S.R.C. institerunt Bernardinus, Joseph, & Sacerdos sæcularis D. Franciscus de Ruggieri, filii prædicti Paschalis; & Franciscus-Antonius, & Joseph, filii præfati Lucæ, nepotesque ex dictis fratribus Cæsaris fideicommittentis ex una parte; institeruntque pariter in eodem S.R.C. U.J.D. Franciscus, & Thomas de Ruggieri filii Matthæi præmortui filii prædicti Vincentii, pronepotesque ejusdem Cæsaris; necnon institit quoque U. J. D. Julianus de Ruggieri filius Caroli præmortui filii Simonis, similiter pronepos Cæsaris, ex parte altera; institit demum Thomas Sorrentino, nepos ipsiusmet Cæsaris ex præmortua filia Elisabetha, pro pertinentia fideicommissi. S.R.C., expleto termino ordinario impartito super petitionibus prædictorum omnium, & postquam Thomas Sorrentino liti cessit, ejusque jura renunciavit supradictis Cæsaris nepotibus, referente clarissimo viro, Regioque Consil. doctissimo Marcello Marciano, die 5. Junii 1663. definitiva sententia pertinentiam fideicommissi prædictis Bernardino, Josepho, Sacerdoti D. Francisco Paschalis filiis, atque Francisco-Antonio, & Josepho, filiis Lucæ, Cæsarisque fideicommittentis nepotibus, tanquam proximioribus addixit, ut ex prædictæ sen-

sententiæ exemplo, *fol.* 75. in propatulo est; pro ejusdemque executione in territorii, domorumque possessionem ipsi missi fuere, *dict. fol. a t.*

Adversus sententiam S.R.C. reclamavere præfati Thomas de Ruggieri filius Matthæi, & D. Julianus de Ruggieri Caroli filius, pronepotesque Cæsaris, & licet obtinuissent causam decidendam fore junctis duabus Aulis S.R.C., attamen die 6. Martii 1665. fuit prior sententia confirmata, pro Tribunali sedentibus prædictis duabus S. C. Aulis, *d. fol. a t.*

Missum facit M.C.V., non abs re fuisse, si post mortem Agnelli, & Stephani de Ruggieri Cæsaris fideicommittentis filiorum, expetitum fuisset, declarari fideicommissum extinctum; nam quamquam Cæsar fidei filiorum suorum commisisset territorium, & domos prædictas restituendas fore eorum heredibus, & successoribus de familia de Ruggieri in infinitum, attamen restitutionem, & fideicommissum, satius erat, fieri debere in beneficium heredum, & successorum ex ipsis filiis gravatis descendentium, & familiæ rectæ, seu, ut Pragmatici loquuntur, effectivæ eorumdem, si unquam in humanis fuissent; minime vero favore heredum, & successorum extraneorum, seu collateralium, & familiæ obliquæ, seu contentivæ, de quibus haud locutum fuisse testatorem, argumentis, rationibusque hercle non aspernendis, facile conjici poterat. At hæc in præsentiarum nihil ad rem.

Constat insuper ex actis, Bernardinum, Josephum, & Sacerdotem D. Franciscum Paschalis filios decessisse, nullis liberis relictis, sicuti & Josephum, Francisci-Antonii fratrem germanum, Lucæ filium, pariter innuptum, & liberis carentem, vitam cum morte commutasse; ac proinde integrum fideicommissum ad laudatum Franciscum-Antonium devenisse. Hic autem tres genuit filios, Andream videlicet, Nicolaum, atque Dominicum, ex quibus, duobus postremis fratribus extinctis similiter absque

filiis,

filiis, in fideicommiſſo prædicto Andreas ſolus, poſt fratrum obitum, ſucceſſit. Andreas porro progenuit Nicolaum, & Franciſcum-Antonium; quorum primus religionem Auguſtinianam profeſſus fuit, alter vero ſolus merito in fideicommiſſo ſucceſſit. Hic enim, Franciſcus Antonius nempe, quinque filios maſculos habuit, Andream videlicet, Jo: Baptiſtam, Sacerdotem D. Philippum, Januarium, & Nicolaum, qui duo poſtremi, ut ſuperius dictum eſt, inſtiterunt pro declaratione præfata. Hi enim filii omnes, defuncto jam patre, decretum pertinentiæ fideicommiſſi, æquis portionibus dividendi, a M.C.V. obtinuere die 13. Aprilis 1737. *fol. 62.* Ex hiſce quinque filiis, Andreas progignit quinque filios, Franciſcum-Antonium ſcilicet, Candidam, Iſabellam, Seraphinam, & Juliam; mortuo Franciſco-Antonio die 2. Auguſti 1762. abſque filiis, ut ex actis liquet *fol.8.* primo Seraphina, deinde ceteræ ſorores expetiere decretum pertinentiæ portionis fideicommiſſi ad Franciſcum-Antonium earum fratrem jam delatæ, perque eumdem obtentæ; cui petitioni in judicio ſe oppoſuere Jo: Baptiſta, D. Philippus, Januarius, & Nicolaus patrui; datoque termino ordinario, eoque expleto, cauſa non fuit ulterius proſecuta. Inter haſce autem moras deceſſit Jo: Baptiſta, nullis relictis filiis, qui, teſtamento condito, heredes inſtituit D. Philippum, Januarium, & Nicolaum fratres, eoſque invicem ſubſtituit; proindeque hi & hereditatem fraternam adierunt, *fol.* 16. Defunctoque poſtea Sacerdote D. Philippo, heredibus inſtitutis Januario, & Nicolao, hi ſimiliter hereditatem, portionemque fideicommiſſi iſtius per M. C. die 14. Januarii 1771. conſecuti fuere, *fol.62.* Januarius tandem, qui ut jam dictum eſt, una ſimul cum Nicolao in præſenti judicio inſtitit pro declaratione extinctionis fideicommiſſi, poſt expletam compilationem termini ordinarii pro præſenti cauſa impartiti, e vivis exceſſit die 20. nuperi decurſi

cursi mensis Februarii, nulla relicta prole, *fol.* 91. Extat igitur solus Nicolaus, ex quo duo tantummodo nati sunt filii, Cæsar nempe, & Olympia. Cæsar autem religionem Beati Francisci a Paula professus est, sub nomine Fr. Seraphini; atque ante Professionem, juxta Tridentinæ Synodi præscriptionem, jus suum omne Nicolao patri renunciavit, cessitque, *fol.* 90. Olympia, licet in præsentiarum dicatur oblata in Collegio S. Mariæ Puritatis Notariorum, sub nomine Sororis Mariæ-Illuminatæ; attamen nedum senio laborat morbo, verum etiam omne jus, omnemque actionem super fideicommisso prædicto ejus patri Nicolao transtulit, seque ab illo abdicavit, immo & consensum eidem patri pro territorio, domibusque distrahendis præstitit, *fol.* 14. *&c.*

Superius dictum est, post mortem Stephani, & Agnelli Cæsaris fideicommittentis filiorum, inter ceteros, qui fideicommissi pertinentiam in S.R.C. expetiere, adfuisse Franciscum, & Thomam nepotes Vincentii ex filio Matthæo, & Julianum nepotem Simonis ex filio Carolo, qui nempe Vincentius, & Simon fratres Cæsaris fideicommittentis fuere. Licet autem Franciscus hic, Thomas, & Julianus per sententiam S.R.C. tanquam remotiores a fideicommisso repulsi fuissent, attamen inficiari nequit, defecta linea prædicti Nicolai, ipsorum linea successura esset, si existeret; verum M. C. pro comperto ex actis habet, Franciscum defunctum fuisse absque filiis, sicut & Julianum; ex Thoma autem fuisse natum Carolum, ex hoc vero Emmanuelem, qui anno 1761. prole carens obiit, ut liquet nedum testium depositionibus *fol.* 18. *&c.*, verum etiam ex adhibitis edictorum citationibus, *fol.* 105.

Relatum siquidem paulo ante est, inter quinque liberos Francisci-Antonii adfuisse Andream, fratrem germanum nempe Januarii, & Nicolai, progenitosque fuisse ab eo quinque filios, scilicet Franciscum-Antonium, Candidam, Isa-

Isabellam, Seraphinam, atque Juliam, conseeutumque fuisse Franciscum-Antonium, post patris Andreæ mortem, portionem præfati fideicommissi, ipsoque jam sine filiis mortuo, in S.R.C. institum fuisse primo per Seraphinam, postmodum per ceteras sorores pro pertinentia prædictæ portionis, datumque fuisse terminum ordinarium, huncque jam expletum, seu compilatum fuisse. Porro has sorores de Ruggieri, licet sint finis familiæ de Ruggieri ex linea prædicti Andreæ, attamen ipsis viventibus, & Nicolao patruo sine filiis prædecedente, dubio procul est, jus ad fideicommissum consequendum habere. Verum ut quæcumque dubitandi causa abesset, supradictæ sorores de Ruggieri, nedum judicio, & liti in S.R.C. motis cesserunt, verum etiam consensum præstiterunt pro declaratione prædicta, proque territorii, domorumque fideicommisso subjectorum venditione, *fol.* 92.

Ex facti historia igitur, atque ex Cæsaris de Ruggieri genealogia liquido patet, Nicolaum de Ruggieri esse ultimum de familia obliqua, seu contentiva ejusdem Cæsaris fideicommittentis, hujusce adnepotem, & descendentem ex Luca ejus abavo, ipsiusque Cæsaris germano fratre. His hercle ex actis rite demonstratis, explorati juris est, in Nicolai de Ruggieri personam fideicommissum extingui, nec ulterius progredi; nam Cæsar de Ruggieri fidei Stephani, & Agnelli ejus filiorum commisit, ne territorium, & domos, ipsis in perpetuum donatas, ullo modo distraherent, abalienarentque; verum illas permansuras fore in perpetuum ipsorum Stephani, & Agnelli, eorumque heredum & successorum de familia de Ruggieri in infinitum indixit, ut ex formula fideicommissi per Cæsarem expressa patet. Interdixit enim Cæsar, ne bona exirent de suo nomine, & familia, proindeque usque dum adessent heredes, successoresque Stephani, & Agnelli de familia de Ruggieri, ipsis heredibus, & successoribus de hac familia illa resti-

restituenda fore præscripsit; deficientibus vero heredibus & successoribus de familia ipsius Cæsaris, abducuntur bona a prohibitione alienationis, & immunia a quocumque onere illa evadunt in ultimi de familia possessoris beneficium, atque dominium; neque hic amplius tali fideicommisso adstringitur, ut ex JCto *Paulo lib.* 14. *Responsorum in L. Titia Sejo* 87. *§.* 2. *D. de legat.* 2. infertur, & ex *Septimii Severi*, *& Antonini Caracallæ* ejus filii rescripto elicitur in *L.* 2. *Cod. Quando dies legati, vel fideicomm. cedit*. Restitutio enim fideicommissæ rei illis facienda est, *quos nominatim*, ut præfatus Jurisconsultus respondit, testator sive fideicommittens *enumeraverit*; proindeque jure etiam merito antea rescripserant laudati Augusti. *Quicumque igitur is fuerit* (ultimus) *ad heredem suum dominium transmittit*, *nec tali* (vel ut clarissimus Cujacius emendat *lib.* 18. *observat. cap.* 16.) *nec alii fideicommisso adstringitur*. Et si fas est huic rescripto adjicere, quod in pluribus aliis Codicibus fortasse correctioribus legitur, clarior res erit, hoc est, *nec tali fideicommisso constringitur*, *ut heredibus eorum restituat*.

Verum enim vero si contra animi sententiam, contraque eruditissimorum, clarissimorumque virorum, & de vera jurisprudentia benemeritorum dictamen fas esset asserere, quod aliqui, quibus opinio sedet evertendi fideicommissa perpetua, dictitant, facillime demonstrari liceret, vel fideicommissum, de quo sermo est, jampridem absolutum fuisse post Stephani, & Agnelli Cæsaris filiorum mortem, ut paulo ante summatim inspectum est; vel saltem expleta quarta generatione Cæsaris fideicommittentis. Præclara enim est percelebris *Imp. Justiniani Novella Constitutio* 159. inscripta: *De restitutione fideicommissi nomine familiæ, quod usque ad quartum gradum locum habet, & quod familiæ nomine etiam nurus continetur*, ut se habet vetus latina versio; vel ut se præ-

præfert epigraphe editionis Noricæ *Gregorii Haloandri*, cui non abnuit editio *Scrimgeriana*: *Ut restitutiones fideicommissi usque ad unum gradum consistant*, quam secutus est *Dionysius Gothofredus*; sive ut eam inscribit clarissimus *Cujacius* ex manuscripto Regio *De substitutione facta in familiam morientis usque ad quotum gradum valeat*. Hujusce namque *Novellæ Constitutionis* sanctione edixit Imperator, ut prohibitio indicta per *Hierium* filiis suis bonorum ipsis relictorum, hac formula, *neque per venditionem, neque per permutationem, neque quocumque tandem titulo transferant, rejiciantque, aut eam domum, seu præscripta quinque suburbia e meo nomine, & mea familia alienent... per omnia, & perpetuo velim permanere in familia mea, neque unquam de meo nomine egredi*; fideicommissum enim hoc porrigendum minime esse post quatuor generationes, quamquam *Hierius* præscripsisset bona illa *perpetuo* permanenda fore in sua familia, neque unquam de suo nomine egredienda, ut in *Cap.* 2. *ipsius Novellæ* legitur. Et tametsi decisio Justinianea de fideicommisso *Hierii* lata fuisset, tamen edixit, ut illa generalis lex haberetur inposterum, quotiens de fideicommissis *perpetuo* familiæ testatoris relictis contendi oporteret, ut ipse in *Cap.* 3. præfatur. Fideicommissum itaque Cæsaris de Ruggieri, nec parumper digreditur a fideicommisso ab *Hierio* filiis indicto, ut ex illius formula superius relata videre est; ac porro absona ab eo legislatio Justinianea haud est.

At cum hujusmodi judicatio & legislatio (liceat ipsius Imperatoris verbis uti) maximam præbuerit ansam *Harmenopulo* prius, deinde *Francisco Hotmano*, *Jacobo Cujacio*, *Joanni-Jacobo Wissembachio*, aliisque viris clarissimis, insectandi, exagitandique *Tribonianum* hujusce *Novellæ* architectum, utpote qui eam, ut & alias quamplurimas perobscure, & ambigue exaraverit, pecunia cor-

ruptus (proh scelus! in omne ævum pestilens hic morbus altas etiam excussit columnas); propterea in præsentis causæ decisione ab ea abstineri, non abs re erit. Licet enim non desint viri eruditissimi per *Matthiam Stefani* in explanatione hujus Novellæ *num.* 3. relati, atque summopere laudati, qui doceant, fideicommissa omnia, quæ per alienationis prohibitionem fiunt, ne bona perpetuo e familia abducantur, ultra quartam generationem progredienda minime fore; secus autem si aliud ex testatoris, seu fideicommittentis mente, aut verbis, eliciatur.

His igitur omnibus sedulo perspectis; *M.C.V. junctis Aulis declarat, fideicommissum relictum, atque ordinatum per qu. Cæsarem de Ruggieri in superius relata donatione diei 5. Martii 1621. extingui, atque finiri in personam Nicolai de Ruggieri tanquam ultimi de familia de Ruggieri prædicti Cæsaris, si tamen sine aliis filiis ipse decesserit; cum eidem Nicolao jam senio confecto, & morbis quam maximis in lecto fatigato atque correpto spes nulla sit filiorum progignendorum; proindeque posse eum in casu prædicto uti jure suo pro distractione, & venditione territorii, & domorum prædictarum. Verum præsens decretum, pro observantia Regiæ Pragmaticæ, non exequatur, nisi facto prius verbo in S. R. C. junctis etiam duabus Aulis.*

Solicano Act. Mag. Buonocore Scriba.

In causa interpositionis decreti pro Ill. Marchione D. Josepho Maria d'Anna cum magn. Curatore. Die 12. Maji 1775.
Facto verbo a Domino Judice D. Vincentio Boraggine, junctis Aulis.

Pro nuptiarum impensis recte contrahitur æs alienum, hypothecæ subjectis fideicommissorum bonis.

ILl. D. Franciscus de Anna Dux Laviani testamentum in scriptis fecit, quod post ejus obitum apertum fuit die 31. Julii 1714. per qu. Notarium Josephum Ragucei hujus Civitatis, quo heredem instituit D. Josephum Mariam suum

suum filium, atque fideicommissum primogeniale ordinavit ex bonis feudalibus, aliisque tam pro filio herede instituto, quam pro ipsius filiis, & descendentibus masculis in infinitum, ordine primogenituræ servato, *fol.* 41.

Ill. Dux Laviani D. Josephus Maria de Anna senior alio testamento, aperto die 7. Februarii 1754. per Notarium Leonardum Marinelli hujus Civitatis, heredem instituit D. Vincentium Mariam de Anna ejus filium primogenitum; ac confirmato majoratu a supradicto Duce D. Francisco ordinato, ei omnia bona sua adjecit, eodem primogenituræ ordine servato, facultate tributa ultimo morienti libere disponendi casu extinctionis lineæ masculinæ. Et casu quo dictus Ill. Dux D. Vincentius Maria filius primogenitus, ac heres institutus spatio annorum octo, post mortem ipsius testatoris, filios masculos non procreasset, ipse testator voluit, Ill. D. Philippum de Anna filium secundogenitum uxorem ducere, eique adsignari annuos ducatos 3000. super bonis etiam feudalibus; ac pariter constitui unicuique ex filiabus possessoris majoratus, dotium nomine, ducatos 10000. super iisdem bonis majoratui subjectis, *fol.* 69.

Testamentum quoque fecit Ill. D. Vincentius Maria de Anna, fecit item codicillos, apertos die 13. Maji 1774. per Notarios Leonardum, & Petrum Æmilium Marinelli hujus Civitatis, quibus herede instituto Ill. D. Josepho Maria de Anna Marchione Raponis filio primogenito, fideicommissum, seu majoratum, ab Ill. Ducibus D. Francisco, & D. Josepho Maria seniore avo, & patre institutum, confirmavit, adauxitque; adjecit enim omnia bona tam ab ipso adquisita, quam quæ ei obvenerunt ab hereditatibus supradictis, iisdem servatis successionis gradibus, & ordine. Adsignavit unicuique ex filiis secundogenitis annuos ducatos 800, ac usum mobilium, & argentorum, cum facultate distrahendi ducatos 1000; ac etiam declaravit, in ejus hereditate perpauca bona libera re-

manere, quæ satis non erant ad onera sustinenda *fol.* 9.

Postremum hoc testamentum acceptavit Ill. hodiernus Dux, *fol.* 34. & 61., præambuli decretum, ac pertinentiæ obtinuit die 14. Junii 1775.; atque inventarium confecit die 27. Julii ejusdem anni, *fol.* 88. & 100. Expositis deinde Majorum suorum dispositionibus, petiit is idem Ill. hodiernus Dux licentiam mutuo, vel ad annuum redditum accipiendi ducatos 20000, obligatis, sive hypothecæ subjectis fideicommissorum bonis, ad hoc ut erogarentur in matrimonii, quod contracturus erat, necessarios sumptus, *fol.* 89.; atque ad hanc rem supplici libello S.R.M. oblato, solitam obtinuit Regiam decretationem, *fol.* 102.

Dato termino ordinario, ac dato Curatore magn. Advocato D. Francisco Xaverio Esperti, qui jura futurorum vocatorum in testamentis prædictis ad hunc actum tueretur, *fol.* 100. *at.*, testes examinati sunt, ex quorum depositionibus liquet inexistentia bonorum liberorum, *fol.* 138.; producta est etiam fides magn. a rationibus bonorum domus supradicti Ducis, ex qua constat de annuis redditibus dictæ domus in summa ducatorum 8045, deductis oneribus, & præstationibus etiam familiaribus, *fol.* 140.

Hisce peractis, magn. Curator adsensit petitioni hodierni Ill. Ducis, pro summa tamen ducatorum 16000; verum inspecta fide appretii gemmarum antiquarum fideicommisso, & majoratui subjectarum, aliarumque noviter elaboratarum, ex qua constat, pretium gemmarum noviter elaboratarum esse ducatorum 6468, *fol.* 142., ipse magn. Curator institit, gemmas omnes prædictas, ac pariter noviter adauctas, pro dicta summa ducatorum 6000, majoratui subjectas perpetuo remanere; pro reliquis vero ducatis 10000 ex redditibus Arrendamentorum hereditariorum teneri hodiernum Ill. Ducem D. Josephum Mariam quolibet anno deponere quantitatem,

pro

pro modo reddituum, judicio M. C. decernendam, usque ad integram extinctionem æris alieni contrahendi, injuncto sequestro super prædictis redditibus Arrendamentorum, *fol.* 144.

His perpensis, & ceteris actis, M.C. declarat, *quod expedit pro ducatis* 12000. *tantum; ac proinde liceat hodierno Ill. Marchioni Raponis, & Duci Laviani D. Josepho Mariæ de Anna mutuo, vel ad annuum redditum accipere ducatos* 12000, *ad rationem melius conveniendam, non excedentem ducatos tres cum dimidio pro quolibet centenario; & pro eis obligare, & hypothecare bona hereditaria qu. Ill. Ducum Laviani D. Francisci, D. Josephi Mariæ, & D. Vincentii de Anna, per eosdem subjecta fideicommissis, substitutionibus, primogenituris, & majoratibus, in eorum respectivis testamentis apertis anno* 1714. 1750. *&* 1774. *manu Notariorum Ragucci, & Marinelli hujus Civitatis, non obstantibus fideicommissis, substitutionibus, primogenituris, & majoratibus prædictis; qui ducati* 12000. *remaneant in Banco conditionati pro illis impendendis in expensis faciendis occasione matrimonii contrahendi per dictum Ill. Marchionem, & Ducem D. Josephum Mariam juniorem cum Ill. D. Hieronyma Spinelli; verum ex redditibus Arrendamentorum hereditariorum dictorum qu. Ill. D. Francisci, D. Josephi Mariæ senioris, & D. Vincentii teneatur dictus Ill. Marchio, & Dux deponere quolibet anno in publico Banco ducatos* 1000, *donec fuerit extinctum æs alienum contrahendum, pro quo effectu fiat sequestrum super partitis prædictis; quod tamen depositum non officiat mutuanti. Et respectu subrogationis gemmarum, ut ex actis, M.C. declarat, non esse locum petitis per magn. Curatorem; nam fideicommissum non foret cautum super gemmis prædictis.* De cetero constat, fideicommissa, præsertim primogenialia, ad perpetuitatem, & decus familiarum esse instituta, ac proinde ex præsum-

ſumta teſtantium & fideicommittentium voluntate ex bonis ipſis fideicommiſſo ſubjectis expenſas ſuppeditandas eſſe in contractione matrimoniorum; nam ſine nuptiis neque perpetuitas fideicommiſſorum, neque familiarum continuatio conſequi poteſt, *arg. L. 22. Quum proponeretur D. ad S.C. Trebell.* Hinc *Nov. 39. cap. 1. de reſtit.* unde deſumpta *Auth. Res quæ C. Comm. de leg. & fideicomm.* cautum eſt, res quæ reſtitutioni, id eſt fideicommiſſo ſubjacent, in defectu bonorum non ſubjectorum, ad dotem, ſive donationem propter nuptias ſuppeditandam obligari poſſe, vel alienari pro modo honeſtati perſonarum congruo, ſive ut alias, honeſte, & ſecundum perſonarum qualitatem, & merita: & ea quæ communiter omnibus proſunt, iis quæ ſpecialiter quibusdam utilia ſunt lex ipſa proponit, *dict. Nov. 39.* Nuptiæ autem legibus caræ ſunt, & publice intereſt familiarum continuationem, nuptiarumque contractionem adjuvari, *L. 19. D. de ritu nupt.* Neque voluntas obſtat ſupradictorum fideicommittentium; ex ipſis enim diſpoſitionibus liquet, eos & dotibus filiarum, & matrimonio ſecundogeniti, deficientibus maſculis ex primogenito majoratus poſſeſſore, ſatis conſuluiſſe, ac voluiſſe bona fideicommiſſo, & majoratui ſubjecta poſſe pro conſtitutione dictarum dotium obligari. Hinc jure deſumitur, fideicommittentes prædictos pari, vel etiam majori ratione cauſa nuptiarum primogeniti, hoc idem permiſiſſe, *L. Quum ſervus 82. D. de condit. & demonſtrat. Verum pro obſervantia Pragm. un. de vincul. & condit. amov. hoc decretum non exequatur, niſi facto prius verbo in S. R. C. junctis Aulis, & facto ſequeſtro ſuper partitis prædictis pro cautela dictæ reintegrationis.*

Solicaro Act. Mag. Bunocore Scriba.

In

In cauſa liquidationis legitimæ bonorum hereditariorum qu. Angeli Coppuccio in beneficium magn. Michaelis, & Nicolai Cappuccio. Die 27. Maji 1775. Referente Dom. Judice D. Marcello Ferro.

INſtiterunt in M.C.V. Michael, & Nicolaus Cappuccio pro liquidatione legitimæ eis debitæ ex bonis paternis. His omnibus expletis, quæ in hujuſmodi judiciis occurrunt quoad liquidationem bonorum, & onerum, ac audito magn. Curatore, *fol.*31.58.*&* 47., M. C. declarat, *legitimam debitam in beneficium Michaelis, & Nicolai Cappuccio ſuper bonis hereditariis qu. Angeli Cappuccio eorum patris, eſſe liquidandam liberam, & explicitam in ſumma duc.* 337., *& aſſ.* 54. *per quemlibet, adſignandam in tot bonis hereditariis dicti qu. Angeli; facto prius notamento in margine teſtamenti rogati die* 30. *Novembris* 1755. *manu Notarii Camilli Matano Terræ Mirabellæ, & in libris magn. a Secretis M.C.; & facta quietatione pariter in beneficium dictæ hereditatis.*

Subſtitutio reciproca inter filios ordinata impedimento non eſt, quin iis liceat legitimam liberam detrahere ex paterna hereditate.

Conſtat nempe de valore bonorum in paterna hereditate remanſorum, detractis omnibus oneribus, *fol.*23.

Conſtat de numero filiorum, *fol.*8. *proc. Rev.D.Joſephi de Ruggiero*. Qua de re cum indubitati ſit juris legitimam filiis deberi, & abſque onere, ita ut gravamen injunctum pro non ſcripto eſſe habendum, ſtatuerit Imperator in *L. Omnimodo*, *L. Sancimus*, *& L. Quoniam in prioribus C. de inoff. teſtam.*, merito M. C. decrevit legitimam deberi.

Nec ad rem facit adeſſe in teſtamento paterno ſubſtitutionem reciprocam inter filios, ea propter præſumi debere hanc detractionem fuiſſe prohibitam, *ad text. in L. Si pater puellæ C. eod. tit.*; etenim hodie minime ambigitur, legem prædictam fuiſſe correctam nedum per dictam *L. Quoniam in prioribus*; verum etiam per *Auth. Noviſſimo eod. tit.* Durum eſſet enim in caſu prædicto, filium

filium ſive in vita, ſive in morte nil poſſe diſponere de paterna hereditate ſub ſpe fraternæ ſucceſſionis; quæ ſæpe ſæpius ſolet evaneſcere.

Pinto Scriba.

In cauſa magn. D. Mutii la Manna cum D. Joſepho la Roſa. Die... Julii 1775. Facto verbo a Dom. Judice D. Marcello Ferro.

Curſus aquæ, qui inter duo prædia fluit, cum Juris Publici non ſit, non impedit, quin finitima dicantur prædia; itaut poſſeſſor unius merito poſſit retractum alterius petere jure congrui.

Denunciatio, quæ non exprimit venditionis pretium, & pacta, perinde habetur, ac ſi facta non fuiſſet.

REv. D. Mutius la Manna, depoſitis ducatis 650, inſtitit in Regia Curia Civitatis Tavernæ die 3. Februarii 1764. pro retractu jure congrui prædiorum, ſive defenſarum, quas emerant nedum D. Eleonora, aliique de Ricca, quam Rev. D. Joſephus la Roſa, quæque vulgo dicuntur *Longino*, & *Trainella*, *fol.* 1. 3. & 41. D. Joſephus la Roſa excepit, territoria in actis deducta, utpote diviſa per aquæ, aquarumque decurſus, minime ſubjacere retractui, *fol.* 71.; excepit etiam, vicinos denunciatos fuiſſe, atque intra ſtatutum tempus haud petiiſſe retractum.

Tranſmiſſis actis; compilato termino ordinario; ac inſpectis probationibus per utramque partem factis, omnibus ſcripturis exhibitis, & ſignanter peritia Expertorum, *fol.* 126. *&c.*; partibuſque plenius auditis, M.C.V. in Civilibus decrevit, *Rev. D. Joſephum la Roſa eſſe condemnandum ad relaxandum jure congrui in beneficium Rev. D. Mutii la Manna, nomine ut ex actis, defenſas, ſive territoria in actis deducta; ac proinde depoſitum factum ducatorum 650. penes magn. D. Dominicum Corcione pro eorum pretio fol. 3. liberetur in beneficium ejuſdem D. Joſephi la Roſa. Nihil in expenſis.*

In facto non ambigitur, territorium dictum *la Scutella*, poſſeſſum per D. Mutium, eſſe finitimum territoriis, ſive defenſis *Longino*, & *Trainella*, emptis per D. Joſephum; quidquid enim contra dictam confinationem aſſertur, nullius eſt ponderis. Conſtat ſiquidem ex eodem contra-

tractu, inito cum ipsamet la Rosa, inter fines dictorum prædiorum descriptos adesse territorium *Scutella*, *fol.*4. Constat ex 2. *artic.* ejusdem de la Rosa, & testium depositionibus utriusque partis, ut *fol.* 126. *&c.* Constat denique nedum ex peritia judicialiter facta, *fol.* 297., verum etiam ex confessis per eundem la Rosa in asserta comparitione præsentata in dicta Regia Curia Civitatis Tavernæ pro prætensa denunciatione, in qua satis evidenter confitetur: *Li perviene ora a notizia, che il Sacerdote D. Muzio la Manna della Città di Scigliano, e D. Cesare Poerio confinano alle sudette difese, come sopra comprate; in qual caso compete a ciascheduno di essi il jus di quelle ritrarre, in virtù della Costituzione* Sancimus, *fol.*77.

Nec minimum adversatur huic claræ confessioni judicialiter, ut dicitur, factæ, exceptio proposita a dicto la Rosa, non esse locum petito retractui, quia inter utrumque territorium in aliqua eorum parte adest cursus aquarum: siquidem tunc flumina excludere solent confinationem, quando sunt publici juris, & usui publico destinata, scilicet navigabilia; non enim omne flumen publicum, id est perenne, est juris publici, sive de Regalibus; sed tantum illud, quod est navigabile, vel influit in navigabile, ut colligitur ex *text. in L.* 1. *§. fluminum*, *L. Quominus D. de flumin.*, & docent passim DD. de hac re agentes. Rivi autem, eorumque decursus, ex quo de privato dominio sunt intra, non autem extra confinationem, quia participant de extremo, & utrique confinanti sunt communes.

Imperator Fredericus in Constitutione *Sancimus*, protomisim non habere, statuit, viam publicam, Ecclesiam, & Curiam; quapropter quum flumen, sive rivum, de quo agitur, constet, emanare ex defensis in actis deductis, ut habetur ex citata Expertorum peritia *fol.* 297., de privato dominio esse, non est ambigendum, *dict. L.*1.

§. item si amnis; cui consequens est, ut non prosit ad excludendam confinationem, etiam ex confessis per ipsummet la Rosa.

Existente igitur confinatione inter utrumque territorium, servata forma hujus legis nemo ignorat, in eorum venditione vicinis prælationem competere; ea propter denunciatio eis fieri oportebat ante contractus stipulationem, & per ipsos venditores, expressis in libello pretio convento, cunctisque qualitatibus, & circumstantiis pactorum, & conditionum, quibus venditio fuerat statuta, ad hoc, ut deliberare possent, utrum emere vellent, necne, *tota L. 1. D. de edend.*, *L. fin. §. sed ne hac Cod. de jur. emphyt.* DD. omnes in Comment. cit. Constitut. verbo *Denunciatio*. Hac autem deficiente, ex quo denunciatio ipsa requiritur pro forma contractus, initus non substinetur, dominiumque in emptorem, respectu finitimi retrahere volentis, minime transfertur, *L. Necessario §. quod si pendente D. de peric. & comm.*: id, quod pariter locum habet in casu sequutæ denunciationis, sed sequutæ, immutata forsan in aliquo veritate pretii, vel non exscriptis circumstantiis omnibus pactorum in venditione contentorum. Edere namque, ait Ulpianus, non videtur, qui totam stipulationem non edit, *dict. L. 1. §. Edere*.

In facti specie denunciatio deest; nam ea, quæ dicitur expleta, falsitatis vitio laborat; & quamquam vera esset, attamen, ex quo facta non fuit, expresso pretio; expressisque qualitatibus defensarum, sive territoriorum, & pactis conventis, consequens est, de illa nullam habendam esse rationem; quapropter merito M. C. decrevit defensarum relaxationem.

Neque obstant quæ judicio jam compilato, deducta sunt, scilicet, prælationem, vigore Regni Constitutionis, tantum competere possidentibus *communem agrum, vel vineam, vel rem immobilem divisam vel indivisam, aut*

ex

ex communi emptione, *vel ex aliquo hujuſmodi titulo*, *in venditione alterius partis*, *quæ a condomino poſſidetur*; itaut vicinus, qui non ſit condominus, contrahere nequeat. Etenim Imperator in hac lege ſatis clare ſtatuit, jus protomiſeos exerceri poſſe, primo a cognatis, qui ſunt conjuncti, poſtea a ſociis, qui ſimiliter ſunt conjuncti; poſt hos, ab illis, qui ſunt conjuncti tantum, etiamſi extranei ſint. Tam autem apertiſſimam Conſtitutionem in alienum ſenſum detorquere, & contra communem omnium interpretum opinionem, & noſtrorum Tribunalium indeſinenter judicia accipere, idem eſt ac contra ſtimulum calcitrare. *Nulla juris ratio*, exclamat Modeſtinus, *aut æquitatis benignitas patitur*, *ut quæ ſalubriter pro hominum utilitate introducuntur*, *ea nos*, *duriore interpretatione*, *contra ipſorum commodum*, *producamus ad ſeveritatem*, *L. Nulla D. de legib.*, vel, ut ait Ulpianus, *lata culpa eſt*, *nimia negligentia*, *id eſt nolle intelligere*, *quod omnes intelligunt*, *L. Cedere diem §. fin. D. de verb. ſignif.*; Tandem, ut ſtatuit Juſtinianus in *L. Non dubium Cod. de legib.*: *Non dubium eſt in lege committere eum*, *qui verba legis amplexus*, *contra legis nititur voluntatem*; *nec pœnas inſertas legibus evitabit*; *qui ſe contra juris ſententiam ſæva prærogativa verborum fraudulenter excuſat*.

Villani Scriba.

In cauſa interpoſitionis decreti pro Baroniſſa D. Joſepha Cameriero, ut ex actis.
Die 28. menſis Julii 1775.
F.V. a Domino Judice D. Vincentio Boraggine.

BAroniſſa D. Joſepha Cameriero, uxor D. Blaſii Lanza, facultatem petiit utendi ſuis dotibus uſque ad medietatem, pro relevandis ejus viri, & familiæ indigentiis Regiamque decretationem obtinuit: *quod M.C. provideat de decreto ſi expedit*, *ut de aſſenſu provideri poſſit*, *fol.* 1.

Ad relevandas viri, & familiæ indigentias, dotium diſtractio uſque ad medietatem permittitur.

Dato

Dato termino summario, datoque Curatore ad tuenda jura filiorum, *fol.* 2., instrumentum dotale exhibitum est; exhibita etiam sunt alia instrumenta, ex quibus liquet æs alienum contractum a dicto D. Blasio cum D. Carolo Lanza ejus patre, *fol.* 31.; & exhibitæ apochæ pignorum, vulgo nuncupatæ *Cartelle di pegno*, *fol.* 45. Accessit examen testium, conjugum indigentiam comprobantium, *fol.* 47. Hinc inspectis actis, & instantia magn. Curatoris *fol.* 50., M.C. declarat, *quod expedit, ac proinde liceat Baronissæ D. Josephæ Cameriero, ejusque viro D. Blasio Lanza libere uti ejus dotibus, usque ad medietatem, pro satisfaciendis creditoribus, ac pro reluendis pignoribus, ut ex actis, non obstante vinculo dotali; verum pro assensu partes adeant S.R.M. in Regali Camera S. Claræ*. Explorati enim juris est, prohibitionem alienandi, atque hypothecandi dotem, in alienatione voluntaria locum habere, non vero necessaria, *L.* 1. *de fundo dotali*. At inter causas necessitatis illa procul dubio est recensenda, ut mulier nupta vivat, scilicet ut virum suum prope habeat, neque illum sub custodia pro ære alieno contracto detineri patiatur. Ac insuper si Reipublicæ interest dotes mulieribus conservari, quum dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, replendamque liberis civitatem, maxime sit necessarium, *L.* 1. *ff. solut. matrim.*; eadem quidem juris ratio est, ut nuptæ a virorum consortio non segregentur. *L.* 10. *ff. de ll.*.

Solitaro Ab. Mag. Buonocore Scriba.

In

In causa interpositionis praeambuli D. Marthae-Catharinae Masson. Die 12. mensis Julii 1775.
Referente Domino Judice D. Basilio Palmieri.

Proneptis ex filio præmortuo non excludit amitam ab avita successione.

D. Martha-Catharina Masson vita decessit die 29. mensis Januarii hujus anni, nullo prorsus peracto testamento, superstitibus D. Maria-Victoria Colomes filia, atque D. Martha, & D. Gabriele Colomes neptibus ex D. Joanne prædefuncto filio. Institerunt in M.C.V. die 1. mensis Junii D. Martha, & D. Gabriel judicio petitionis hereditatis, pro interpositione decreti (quod *præambulum* apud nos dicitur); proindeque petierunt, declarari ex asse heredes prædictæ D. Marthæ-Catharinæ aviæ paternæ, cum onere tantummodo dotandi de paragio præfatam D. Mariam-Victoriam amitam, *fol.* 2. Institit quoque D. Maria-Victoria, eodem hereditatis petitionis judicio, pro semisse ejusdem hereditatis, tamquam sibi ab intestata matre delato; semissem vero alterum tantummodo delatum fuisse, asserens, prædictis D. Marthæ, & D. Gabrieli, utpote neptibus, licet ex præmortuo filio, dictæ D. Marthæ-Catharinæ; eis enim in gradum prædefuncti fratris subingredientibus jus successionis in stirpem solum tamquam fœminis esse a lege concessum, contendit, exploso prorsus, atque ablegato Pragmaticorum quorundam errore, edocentium, filias fœminas ex prædefuncto filio successuras esse in integro asse hereditatis, sive avi paterni, sive aviæ, exclusa filia, earumve amita, utpote repræsentantes nedum gradum, sive locum, verum etiam personam, & qualitatem masculinam earum patris. Super hisce autem mutuis petitionibus dato termino, eoque expleto, minime inter se diffidentes videntur amita, & neptes quoad facti veritatem, defunctam videlicet fuisse D. Martham-Catharinam Masson intestatam, superstitibus ipsis D.Ma-

ria

ria victoria filia, atque D. Martha, & D. Gabriele nepribus ex præmortuo filio D. Joanne. Contentio enim, lisque in jure sedet, in cujus definitione M.C.V. Aulæ Decanæ, abdicata Pragmaticorum, seu Forensium exlege opinione, & juris œconomia solummodo innixa, quæ sequuntur, utpote firmum talum existimans, prosequuta est.

Dubio procul est, casum, de quo lis est, neque per legem Regni, seu per Constitutionem *In aliquibus*, neque per hujusce Civitatis Consuetudinem *Si moriatur*, in quibus de intestata ascendentium successione edicitur, esse definitum, neque prævisum; propterea ipsi quidem Pragmatici in confesso sunt, illum explanandum, definiendumque esse juris Justinianei œconomia, & porro ad repræsentationis jus se vertunt, putantque, filias fœminas nedum subire locum, seu gradum prædefuncti patris, verum etiam repræsentare personam, & qualitatem masculeam ejusdem, in concursu cum amitis, ad avi, sive ad aviæ intestatam successionem; atque hinc inferunt, sicut pater earum, si in humanis ageret, sororem ablegaret ab intestata successione paterna, tam per Regni Jus, quam per Consuetudinem Neapolitanam *Si moriatur*; non abs re propterea, immo & eodem jure filias fœminas repræsentantes proprii patris prædefuncti personam, amitas excludere ab avi successione intestata, tanquam fœminas, quas mares a prædicta hereditate, & successione excluderent. Verum enim vero, quam juris sive Justinianei, sive Anti-Justinianei principiis absona sit ficta hæc repræsentatio masculeæ qualitatis, quamque parvifacienda, irridendaque, ex his, quæ M. C. V. explanabit, in propatulo erit. Præstat autem modo animadvertere, non defuisse Pragmaticos viros, ceteroquin clarissimos etiam & præstantissimos, inter quos est doctissimus *Præses Merlinus Centuria 2. suarum controversiarum cap. 4. num. 20.*, qui masculeam hanc

hanc repræsentationem per filias fœminas exequendam facete defricant, illuduntque. Sed missis his, disquiratur res cum vera juris œconomia. Et primo quidem, ignoratur undenam, & ex quo Juris Civilis fonte promanet Pragmaticis hisce formula *repræsentare filios, seu filias personam patris masculeam?* Et licet ipsi appellent testem *Justinianum in Novella Constitutione CXVIII.*, attamen purum figmentum hoc esse, liquido constat. *Justinianus* enim inibi de collateralium successione edicens, ne nepos ex præmortuo fratre tanquam gradu remotior excluderetur a patruo ab alterius defuncti patrui successione intestata, a qua, & legibus XII. Tabularum, & media Jurisprudentia abducebantur, beneficium non repræsentationis, sed subingressionis in locum prædefunctorum patrum filiis concessit, ad hoc ut subeundo locum, id est gradum eorum patrum, fas eis esset una cum patruis succedere tanquam in æquali, & eodem gradu collocati, sicut & patres ipsorum erant. At ut clarius, facillimeque, ut par est, res intelligatur, adnotandum est, sancitum ex *Tab. V. cap. 2. legum XII. Tabul.* fuisse: *Ast sIntestato moritur, cui sVs heres nec escit, Agnatus proximus familiam habeto*; quæ verba secundum *Ulpiani* fragmenta *tit. 26. §. 1.* ita se habent: *Ac si intestato moritur, cui suus heres nec estabit, Adgnatus proximus familiam habeto*; neque his verbis abnuit Auctor collationis legum Mosaicarum, & Romanarum *tit. 16. §. 4.* ex libris *Papiniani*, *Pauli*, *Ulpiani*, ceterorumque juris Auctorum desumptæ ante *Justiniani* tempora; sicque pariter ab eruditissimo viro *Jacobo Gothofredo in paraphrasi Tabulæ V. legum XII. Tabularum, & in probationibus ejusdem quintæ tabulæ*, superallata verba explanantur. Hæc enim juris œconomia, atque canon ad Justiniani ævum usque perduravit; nam cum moreretur quis intestatus, cui filii in potestate nec extabant, tunc frater, vel alter adgnatus, qui

qui ei proximior erat, in ejus hereditatem vocabatur, succedebatque; ex quo sequebatur, fratrem defuncti continuo filios ex altero præmortuo fratre, tanquam remotiores, excludere: quia *lex XII. Tabularum*, mediaque Jurisprudentia ad successiones adgnaticas, collateralesque gradu proximiores admittebat, remotioresque repellebat. At *Justinianus* (fas sit aliquorum doctissimorum virorum phrasi uti) At *Justinianus*, inquam, qui nihil pene intactum ex veteri Jurisprudentia reliquit, quod non perverterit, atque immutaverit, hoc quoque sive humanitatis, & æquitatis gratia, sive alia qua ratione, correxit, emendavitque, induxitque in hisce adgnaticis, seu collateralibus successionibus subingressionem filiorum in locum, & gradum patris; ut hinc tanquam subeuntes eundem gradum, in quo pater erat, efficerentur æqualiter proximi defuncto, de cujus successione est quæstio, ac sunt ejusdem defuncti fratres. Hocce enim tantummodo *Justinianus* sanxit, hocque edixit in *Novella Constit.* 118. *cap.* 3.; repræsentationem autem masculeæ qualitatis paternæ per Pragmaticos effictam, nunquam idem *Justinianus* somniavit: En verba legis: *Quandoquidem igitur fratris, & sororis filiis tale privilegium dedimus, ut in propriorum parentum succedentes locum, soli in tertio constituti gradu, cum iis, qui in secundo gradu sunt, ad hereditatem vocentur*. Æquavit igitur *Justinianus* tertium gradum filiorum prædefuncti fratris, cum secundo gradu fratrum alterius fratris, de hereditate, & successione intestata cujus agitur; ut hinc nepotes, neptesve subingredientes eumdem locum eorum patris, ipsum secundum gradum, in quo patrui sunt, subire possint, cumeisque ad defuncti hereditatem in stirpes succedere valeant, ne ceteroquin ab ipsis, utpote proximioribus excludantur; quodque privilegium; ut ipse *Justinianus* edixit tantummodo in adgnatica, sive cognatica, collatera-

teralique successione induxit, quando nepotes cum propriis concurrunt thiis.

Hoc idem profitetur ipse Legislator initio *Novellæ* 127., ubi sic præfatur: *Meminimus igitur scripsisse legem (Novellam* nempe 118.), *per quam jussimus, ut si quis moriatur relinquens fratres, & alterius fratris præmortui filios; ad similitudinem fratrum & præmortui fratris filii ad hereditatem vocentur, paternum adingredientes gradum*. Adingressio igitur loci, gradusque patris dumtaxat per Justinianeum beneficium fuit indulta filiis, filiabusve in concursu ad successionem defuncti patrui, cum eorum patruis alteris: quod, dicendum est, fuisse ab *Justiniano* inductum ad imitationem successionis intestatæ descendentium per superallatam Decemviralem legem sancitæ; ex ea namque si pater intestatus decessisset, relictis filio, & ex altero prædefuncto filio nepotibus, vel pronepotibus, & sic deinceps, hi una simul cum filio, ad avi, vel proavi paterni successionem vocabantur, quia subeuntes locum patris, non secus ac ipse, heredes *sui* habebantur avi, sive proavi, quia per mortem patris, avo superstite, in istius potestate manebant; proindeque hujus mortis tempore *sui* quoque heredes, ac filius superstes, existebant. Ex hoc enim visum fuit *Justiniano* perquam æque, ut etiam in collaterali successione, filii ingrederentur paternum locum, gradumque, ne a Thiis excluderentur ab alterius patrui successione; quæ tamen subingressio placuit aliquibus Juris Civilis Commentatoribus, Pragmaticisque, *repræsentationem* appellare.

Pragmatici vero ab hoc Justinianeo beneficio, nepotibus, neptibusque ex filio præmortuo dumtaxat indulto, in collateralium, seu in adgnatica (substulerunt enim *Valentinianus*, *Theodosius*, & *Arcadius* in *l.6. Cod. de suis, & legit.*, agnationis, cognationisque differentiam) successione, argumentum, rationemque absurde nimis de-

ducunt pro descendentium successione. In hac enim nepos, pronepos, abnepos, & sic deinceps, ex ipsius legis nedum *Decemviralis*, sed totius mediæ Jurisprudentiæ ministerio, immo & ex ejusdem Justinianeis Sanctionibus, succedunt, non secus ac pater eorum; quia hoc præmortuo, statim ipsi *sui* heredes efficiuntur, inque avi, proavi, & sic ulterius, potestate manent; ex qua namque *suitate* ad successionem avi, proavi, una cum filio superstite ipsi nepotes, seu pronepotes in stirpem vocantur.

Liquet etiam hoc ex *Caji Institutionibus lib.* 2. *tit.* 8. §.7.; ubi hæc leguntur: *Cum filius, filiave, & ex altero filio nepotes, neptesve existent, pariter ad hereditatem vocantur; nec qui gradu propior est, ulteriorem excludit: æquum enim videtur, nepotes, neptesve in patris sui locum, portionemque succedere. Pari ratione etsi nepos, neptisve sit ex filio, & ex nepote pronepos, proneptisve, simul vocantur. Et quia placebat, nepotes, neptesve, item pronepotes, proneptesve in patris sui locum succedere; conveniens, non in capita, sed in stirpem hereditates dividi; & filius dimidiam partem hereditatis fruat* (vel ut melius, & accuratius emendat clarissimus Antonius Schultingius, *ferat*, vel *auferat*, vel *habeat*) *ex altero filio duo pluresve nepotes alteram dimidiam. Item si ex duobus filiis nepotes extent, ex altero filio unus forte, vel duo, ex altero tres, aut quatuor, alteram dimidiam. Si nullus sit suorum heredum, tunc hereditas pertinet ex eadem lege XII. Tabularum ad agnatos.*

Justinianus quoque de intestatis descendentium successionibus edicens in suis *Institutionibus lib.* 3. *tit.* 1. §. 1. ait: *Intestatorum autem hereditates lege XII. Tabularum, primum ad suos heredes pertinent. Sui autem heredes existimantur, ut & supra diximus, qui in potestate morientis fuerint, veluti filius, filia, nepos, neptisve*

ptisve ex filio, pronepos, proneptisve ex nepote ex filio nato prognatus, prognatave . . . Ita demum tamen nepos, neptisve, pronepos, proneptisve, suorum heredum numero sunt, si præcedens persona desierit in potestate parentis esse, sive morte id acciderit, sive alia ratione, veluti emancipatione.

Ex his igitur patet, successionem descendentium ad filios, nepotes, pronepotes, & ad ceteros ulterioris gradus, non ope proximitatis, sed *suitatis*, ut ajunt, jure deferri; nam cum e medio filius auferatur, nepos est avi *suus* heres, & sic deinceps: & ob hanc rationem in supra allegata lege Decemvirali edicitur: *cui* suus *heres nec extabit, adgnatus proximus familiam habeto*, ut distinguatur inter successionem descendentium, & adgnatorum: in prima enim dumtaxat requiritur *suitas*, non proximitas, & ideo *Decemviri* his verbis tantummodo usi fuere, *suus heres*, non vero *suus proximus heres*; immo semper ac deerat pater, sive emancipatione, sive quia in hostium potestate fuisset; nepos etiam invitus hereditati avi obligabatur, ut testatur *Julianus* in *L. 12. D. qui testamenta facere possunt*: in adgnatica autem successione proximitatem gradus exegerunt, edixeruntque, adgnatum proximum dumtaxat ad collateralem successionem intestatam vocari.

Igitur si tam diversimode distat, differtque una successio ab altera, quanam recta juris ratione Pragmatici deducunt argumentum a beneficio Justinianeo indulto filiis ex præmortuo fratre, ne excludantur a Thiis in successione alterius patrui, fratrisque eorum patris, ad illud in descendentium successionem intexendum, interpolandumque, adque monstrosam illam masculeæ qualitatis repræsentationem effingendam?

Et licet veteri jure *suitas* tantum filios ad successionem patris, avique vocabat, minime vero ad matris, aviæque successionem, tanquam non habentium filios, ne-

G 2 potes-

potesque in potestate; attamen recentiori jurisprudentia hoc sublatum fuit, idemque ordo succedendi ipsis quoque donatus fuit, ut *Imperator Justinianus* testatur in §. 1. *Item vetustas*, & §. *sed nos*, *Institution. De hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur*.

At, ut apertissime Pragmaticorum effictæ masculeæ qualitatis paternæ per filios, filiasve repræsentatæ error dignoscatur, *Pauli* Jurisconsulti locum (sive *lib.* 1. *ad Sabinum*, ut in Florentinis, ceterisque editionibus, sive *lib.* 7., ut in editione Gothofrediana legitur) *Pauli*, inquam, Jurisconsulti locum liceat in medium afferre. Is enim proponit, definitque, ex quo liquido infertur, nepotem in avita successione neutiquam patris prædefuncti personam repræsentare; locum autem, gradumque semper. En Jurisconsulti verba in *L. Si quis postumus* 9. §. *si filium D. de liberis, & postumis*: *Si filium exheredavero, nepotemque ex eo præteriero, & alium heredem instituero, & supervixerit filius post mortem meam, licet ante aditam hereditatem decesserit, non tamen nepotem rupturum testamentum, Julianus, & Pomponius, & Marcellus ajunt. Diversumque est, si in hostium potestate filius sit, & decesserit in eodem statu: rumpit enim his casibus nepos testamentum, quod moriente avo, filii jus pependerit, non abscissum, ut superiore casu, fuerit.*

Mittimus de hujusce legis diversis, variisque lectionibus edisserere, nam Florentinam, Gothofredianamque sequimur; mittimusque *Francisci Hotmanni*, ceteroquin viri præstantissimi, ejusdem legis paulo accuratiorem emendationem, quam in *cap.* 15. *lib.* 1. *Observationum juris*, excogitavit, perstringere, insectarique; sed dumtaxat ad rem nostram devenimus. Ab Jurisconsultis igitur *Juliano*, *Pomponio*, *Marcello*, atque *Paulo* definitum extat, quod si pater filium exheredem fecerit, nepotemque ex eo præterierit; dein patre mortuo, filius ita

ita exheredatus decesserit; nepos quamquam ab avo præteritus, testamentum ejus post mortem patris sui rumpere nequit; & licet ab *Paulo* ratio (fortasse ob vermiculatum Triboniani opus) minime afferatur; attamen ea est, quia filius, licet exheres factus tempore mortis patris, *suus* tamen quoque manet, inque potestate patris est, locum, gradumque primum occupat; propterea-que avus nepotem jure præteriit; quia, ipso *Paulo* auctore *lib*. 4. *Sententiar. tit*. 8. §. 8.: ***Parentes liberis suis, cum quibus in potestate fuerunt, ipsi ordine successionis obsistunt***. Efformat postmodum Jurisconsultus alterum casum, scilicet, pater filium habens in servitute apud hostes, & ex eo nepotem, testaturque, extraneum instituendo, nepotemque ex filio prætereundo; moritur avus, filiusque apud hostes decedit; rumpit tunc nepos testamentum avi. At ecquænam diversitatis ratio? ea ex *Ulpiani* sententia in *lib*. 35. *ad Sabinum*, sive sit ***L. In omnibus* 81. *D. de captivis, & de postliminio, & redemptis ab hostibus***, juris regula constat, quæ sequitur: ***In omnibus partis juris, is qui reversus non est ab hostibus, quasi tunc decessisse videtur, cum captus est***. Igitur pater, qui testamenti tempore filium apud hostes habebat, isque ex juris regula decessisse videtur cum captus fuit, obstringebatur pater ab eadem juris regula nepotem ex eo instituere, præterire autem nequaquam; at si prætererit, & filius moriatur apud hostes, merito nepos avi testamentum rumpit; quia ex superius adnotatis visum est, patrem filium habentem, & ex eo nepotem, filio mortuo, avo superstite, nepotem avi esse heredem *suum*, locumque, atque paternum gradum occupare, ut etiam ex ipsis Justiniani Institutionibus *lib*. 3. *tit*. 1. §. 6. *de hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur*, legitur; proindeque avum teneri nepotem heredem instituere. Subjungit porro Jurisconsultus *Paulus* in allato textu, ***pendere filii jus, non esse abscissum***; nam si filius,

filius, qui apud hostes est, revertitur, tunc beneficio postliminii, jus omne acquirit, ut ipse *Paulus* testatur *lib.* 4. *Sententiar. tit.* 8. *§.* 7., edixeruntque Imperatores *Diocletianus*, & *Maximianus* in *L. Captum* 9., & in *L. Jus postliminii* 14. *Cod. de postlimin. reversis*; meminitque etiam *Justinianus* in *§.* 4. *Institut. de hereditatib. quæ ab intestato defer.*, meritoque porro in textu dicitur, *filii jus pendere*, non autem *abscissum*, hoc est *exstinctum*; pendet enim jus filii ab eventu reversionis ab hostibus, vel a morte apud eos. Hæc enim diximus etiam, ut præ oculis sit, quanta ab propria, veraque supralaudati textus sententia absona sit *Francisci Hotmani*, quam innuimus, emendatio.

Ex his igitur perquam manifestissime infertur, patetque, nepotem, neptemque nunquam patris personam, ejusque qualitatem in avita successione repræsentare; nam si has repræsentaret, testamentum avi vetitum nepoti esset rumpere; porro illud ex patris persona apud hostes existentis, ibique mortui, rumpere ei necesse esset; quod quam absurdum, quamque contra œconomiam juris sit, nemo est, quin videat; nam si illud filius apud hostes manens, rumpere nequit, ut ex ejusdem *Pauli lib.* 2. *ad Sabinum*, in *L.* 31. *D. eod. tit. de liberis, & postumis*, sententia elicitur hisce verbis: *Dum apud hostes est filius, pater jure fecit testamentum, & recte eum præteriit; cum si in potestate esset filius, nihil valiturum esset testamentum*. Ecquo igitur pacto potest nepos personam patris, ejusque qualitatem repræsentare, & ex ea testamentum avi rumpere, dum pater ipse rumpere haudquaquam posset? Rumpit ergo ex propria, minime vero ex persona, qualitateque patris.

Constat igitur, nepotem, neptemque in avita intestata successione personam patris minime repræsentare, sed jure proprio succedere: nam patre utcumque e medio sublato, ipsius juris œconomia filius, dein nepos, neptisve,

ve, pronepos, proneptisve, sicque deinceps, parentum impedimento desistente, succedunt; nam ait *Paulus lib. 4. Sententiar. tit. 8. §. 8. Post filios, filias, ad intestatorum successiones inter suos veniunt nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, ac deinde masculino sexu per filium descendentes, si nullus parentum impedimento ipsis in avi potestate, vel proavi familia remanserit: parentes enim liberis suis, cum quibus in potestate fuerunt ipsi, ordine successionis obsistunt.* Si enim parentes liberis suis obsistunt ordine successionis, parentibus defunctis, vel apud hostes existentibus, inibique mortuis, obstaculum, atque impedimentum aufertur; nepotes propterea, neptes, pronepotes, proneptesque statim primum locum, gradumque occupant, & proprio jure, nullo effictæ repræsentationis suffragio, ad avi, proavique successionem vocantur, admittunturque.

His itaque sic prælibatis, atque Pragmaticorum monstrosa repræsentationis masculeæ paternæ qualitatis per filios, filiasve effícta, penitus profligata, perquam evidentissime patet, filios, filiasve, nepotes, neptesve ex alio præmortuo filio, jure civili, maximeque Justinianeo, ad avi aviæque successionem vocari in stirpes; itaut in concursu neptum ex præmortuo filio, cum filia, quæ & illius sit germana soror, ad aviæ intestatam successionem, una insimul succedunt, filia videlicet, neptesque ex præmortuo filio: hoc tamen ordine, ut filia semissem, alterum vero semissem neptes ex prædefuncto filio in stirpes accipiant, consequanturque: quo modo *Justinianus* in *§. cum filius 6. Instit. de hereditatib. quæ ab intestato deferuntur*, edixit. Igitur M. C. V. Aulæ Decanæ veram, propriamque Juris Civilis œconomiam, sanctionesque prosequendo, Pragmaticorumque involutas opiniones, ut sanctiori edicto Invictissimi, Pientissimique Regis nostri providentissime constitutum est, refellendo, respuendoque, *interponit decretum preambuli qu. D. Marthæ-Cathari-*

tharinæ Masson ab intestato, videlicet pro semisse in beneficium D. Mariæ-Victoriæ Colomes ejus filiæ; pro semisse vero altero in beneficium D. Marthæ, & D. Gabrielis germanarum sororum, neptumque ex præmortuo filio D. Joanne Colomes ipsius D. Marthæ-Catharinæ Masson, omnium bonorum hereditariorum ejusdem, tam intra, quam extra districtum hujusce Civitatis, & ubique existentium; & cum beneficio legis, & inventarii &c.

Taglioferri Scriba.

In causa Praeambuli qu. D. Joannis Baptistæ Giacomino, ut ex actis. Die 27. Novembris 1775.
Referente Dom. Judice D. Nilo Malena.

Ex usu recepto decretum *Praeambuli* præcedit in Regno bonorum possessionem; præambulum vero omnino concedendum est juxta testamentum, quod neque abolitum, neque cancellatum ostenditur; quæque testamento hujusmodi opponuntur vitia, ordinaria cognitione indigent.

D. Joannes Baptista Giacomino ultimo ejus testamento clauso die 27. Martii 1764, & aperto die 7. Novembris 1766. manu qu. Regii Notarii Petri Antonii Polecino a Neapoli, ex asse heredes scripsit pro æquis partibus suos filios Rev. Sacerdotes sæculares D. Carolum Antonium, & D. Petrum Franciscum, ac D. Juliam, & D. Annam Mariam; usufructuarios vero tantum dictos Sacerdotes, cum reciproca substitutione, quibus, post eorum mortem, substituit dictas fœminas coheredes scriptas. Cuilibet ex dictis suis filiis Sacerdotibus tribuit facultatem disponendi de summa ducatorum 200, comprehensis respectivo patrimonio sacro, ac ducatis 100. ab ipso donatis; idque, voluit, ut in omnem partem suæ hereditatis, etiam causa legitimæ, eis cederet. Declaravit, dotes suæ uxoris D. Camillæ Rocco receptas fuisse in summa ducatorum 1500; & pro omni, quod ad illam pertinere poterat super eadem hereditate, ducatos sexaginta anno quolibet reliquit, facultatemque una vice disponendi suarum dotium causa, per actus tam inter vivos, quam ultimæ voluntatis, de ducatis 150. tribuit, *fol.* 7.

Anno

Anno 1770. D. Honuphrius, D. Nicolaus, & D. Joachim della Gatta filii dictæ D. Annæ Mariæ Giacomino, tunc temporis defunctæ, ex persona ejusdem decretum præambuli dicti qu. D. Joannis Baptistæ Giacomino ex citato ejus testamento pro quarta parte a M. C. V. obtinuerunt, tam in proprietate, quam in usufructu, *fol.* 4.

Die 7. Junii 1774. fratres de Giacomino hereditatem defuncti patris in S. R. C. deduxerunt, & a Regio Consiliario D. Hippolyto Porcinari fuit decretum: *M. C. V. iterum procedat ad interpositionem decreti præambuli, auditis omnibus interesse habentibus, verum non consignet copiam, neque fidem, inconsulto S.R.C., sive Domino causæ Commissario; & interim pro securitate interesse habentium fiat sequestrum omnium bonorum hereditariorum penes quem, cum laicali cautione, fol.* 5.

Fratres della Gatta igitur denuo institerunt pro confirmatione præambuli ex testamento in eorum beneficium, *fol.* 1. Fratres vero de Giacomino nullum declarari testamentum idem instant; quoniam usque ab anno 1762. D. Joannes Baptista eorum pater epilepsi correptus, non erat sui compos, *fol.* 19.; & quasdam fides *fol.* 23., ac epistolam *fol.* 47., ex quibus nullitatem testamenti depromere nituntur, exhibuerunt, *dict. fol.* 19.; ac eamdem nullitatem ex conjecturis etiam probare conantur; quæ omnia dicti fratres della Gatta, alias fides producentes *fol.* 37., nisi sunt refellere, ut ex *fol.* 29.

M. C. V., re bene perpensa, decrevit: *Interponatur præambulum qu. D. Joannis Baptistæ Giacomino ex ejus testamento in beneficium D. Honuphrii, D. Nicolai, & D. Joachim della Gatta, ex qu. D. Anna Maria filia nepotum, & ex persona ejusdem pro quarta parte proprietatis, & usufructus, cum oneribus, legatis, & declarationibus in eodem testamento contentis, & servata forma ipsius; & super prætensa nullitate testamenti, aliorumque deductorum in comparitione fol.* 19. *pro*

parte Fratrum de Giacomino , in biduo audiantur partes ; & interim prædicti Fratres della Gatta non alienent , & se obligent respectu fructuum , donec viso exitu termini aliter fuerit provisum ; Verum non consignetur fides , neque copia inconsulto S. R. C., sive Domino Regio Consiliario Porcinari causæ Commissario .

Ratio decisionis eruitur ex notissima *L. fin. Cod. de edict. D. Hadr. toll.* Jure civili cui hereditas deferebatur, jusque eam adeundi erat, bonorum possessio per Prætorem concedebatur , quæ una ei commoda , atque incommoda hereditaria tribuebat ; necnon jurium omnium defuncti exercitium, *L. 1. & 3. §. bonorum de bonor. possess.* Jure Regni, seu potius more recepto, bonorum possessionem præcedit præambulum decretum , quo quis heres esse declaratur, quod cum primo invectum fuisset, ut ad instrumentorum liquidationem secundum ritus M.C. gradus fieret, obtinuit deinde, ut prorsus delationi potestatis quarumcumque hereditariarum actionum exercendarum præmittatur; cui ergo ex *L. fin. Cod. de edict. D. Hadr. toll.* immissio debetur, ei & præambulum ; qui vero aliquid objicit adversus testamentum Judici ostensum non cancellatum, neque abolitum, neque ex quacumque suæ formæ parte vitiatum, sed apparens in prima figura sine vituperatione, jura sua in judicio plenario experiri debet .

Zuccalà Act. Cons. Scriba .

In causa D. Balthassaris Cestari cum magn. Curatore filiorum impuberum qu. Pauli Cestari penes acta decreti Si expedit. *Die 27. Novembris 1775. F.V. ab Ill. Marchione Dom. Judice D. Carolo Cito.*

Per liberorum supervenientiam donatio revocatur, præsertim cum sit universalis.

D. Balthaxar Cestari instituit in M. C. V. pro rescissione donationis inter vivos , quam fecerat quorumdam capitalium ducatorum 496. in beneficium qu. Pauli Cestari, & ejus filiorum , causa matrimonii tunc contrahendi

hendi, deindeque contracti a donatario cum Angela Ruffo, *fol.* 59. Duas expressit rescissionis causas, scilicet, donationis tempore cælibem fuisse, matrimonio postea anno 1763. contracto cum Cajetana Lerta, plures ex ea liberos suscepisse; neque alia bona umquam possedisse, quam ea, quæ donaverat. Exhibito donationis instrumento, & dato termino ordinario, audito Curatore filiarum impuberum defuncti donatarii, liquet, D. Balthassarem tempore donationis cælibem vitam egisse, & deinde contracto anno 1763. cum Cajetana Lerta matrimonio plures liberos suscepisse, *fol.* 66. Dato deinde & alio termino summario, *fol.* 77., constitit quoque, alia bona numquam possedisse donantem, *fol.* 78. Hinc Curator filiarum impuberum donatarii consensum præstitit petitæ revocationi, sive rescissioni donationis ob supervenientiam filiorum dicti Balthassaris donantis, & ob deficientiam aliorum bonorum ejusdem, quemadmodum & consensum præstitit Angela Ruffo vidua qu. Pauli, etsi prætendisset antefatum ex capitalibus donatis, *fol.* 71. *&c.*

His omnibus perpensis, M. C. declarat, *esse locum revocationi donationis capitalium ducatorum* 496, *factæ a Balthassare Cestari in beneficium qu. Pauli Cestari ejus nepotis, & filiorum dicti Pauli in ejus instrumento dotali; ac proinde esse rescindendam, & pro rescissa habendam esse ob supervenientiam filiorum dicti Balthassaris, & ob deficientiam aliorum bonorum tempore perfectæ donationis.*

Legibus enim cautum est, revocandas esse donationes perfectas non existentibus liberis, si postea ii nascantur, ut in *L. Si unquam* 8. *C. de revoc. donat.* Ad quod accedit, donationem a Balthassare Cestari factam fuisse omnium bonorum: quas donationes leges abhorrent; utpote quæ libertatem testandi adimunt, *L. Pactum quod dotali C. de pactis*: Habemus item ex rescripto

 Impp.

Impp. *Diocletiani*, *&* *Maximiani* in *L.* 3. *C. de revoc. donat.*, quod etiamsi sint favore liberorum, nihilominus revocantur, cum integrum patrimonium exhauriant profunda liberalitate, & eviscerent integras opes: quod etiam habemus in *L. Si totas facultates* 5. *C. eod.*

Pendini Act. Mag. Catini Scriba.

In causa interpositionis decreti pro Ill. Marchione Ceppagatti D. Philippo Jacobo Monticelli della Valle. Die 30. *Januarii* 1776.
F. V. a Domino Judice D. Vincentio Boraggine.

Quum bona libera deficiant, recte hypothecæ subjiciuntur fideicommissa, ut primogenitus nuptias contrahat; atque in decernenda quantitate pro matrimonii impensis potest Judex, circumstantiis inspectis, modum excedere a testatore præscriptum.

M. C. V. Junctis Aulis, declarat, *quod expedit, ac proinde liceat Ill. Marchioni Ceppagatti D. Philippo Jacobo Monticelli della Valle mutuo, vel ad annuum redditum accipere ducatos* 3000. *ad rationem melius conveniendam, non excedentem ducatos quatuor pro quolibet centenario, & pro eis obligare, & hypothecare bona hereditaria qu. Ill. Ducis Ventignani D. Cæsaris ejus patris per eundem subjecta fideicommisso, majoratui, & primogenituræ, ordinatis ejus in scriptis testamento, aperto anno* 1764. *per Notarium Josephum Antonium Venettozzi hujus Civitatis, non obstantibus dicto fideicommisso, majoratu, & primogenitura. Verum dicti ducati* 3000. *remaneant in Banco conditionati pro illis impendendis occasione matrimonii contrahendi per dictum Ill. Marchionem D. Philippum Jacobum cum Ill. D. Olympia delli Monti Sanfelice; & ex reditibus bonorum in testamento prædicto descriptorum, ac pro portione ipsius Marchionis D. Philippi relictorum, idem D. Philippus teneatur deponere in publico Banco annuos ducatos* 200. *donec fuerit extinctum æs alienum contrahendum; pro quo effectu conductores dictorum bonorum se obligent penes acta M. C. ad adimplendum depositum prædictum: quod tamen non officiat mutuanti.*

Constat, Ill. Marchionem D. Philippum possidere tantum bona

bona fideicommissis primogenialibus subjecta ab Ill. Duce Ventignani D. Cæsare Monticelli ejus patre, *fol.54.* uti renunciatarius & donatarius Ill. Ducis D. Francisci ejus fratris primogeniti, *fol.61.*, ac occasione matrimonii contrahendi petiit licentiam mutuo, vel ad annuum reditum accipiendi primo ducatos 5000. *fol. 1.*, deinde ducatos 7000 ; & pro hac summa hypothecandi bona fideicommissa, *fol.51.* Quamvis autem in hujusmodi casu a fideicommittente potestas tantum fuerit facta hodierno Ill. Duci Ventignani, & dicto Ill. Marchioni, filiis & heredibus institutis, pro ducatis 2000. unicuique ex ipsis, *fol. 18.* ; qua de re M. C. decreto 26. Septembris 1775. declaravit, licere eidem Ill. Marchioni ea quantitate libere uti pro impensis matrimonii, servata forma paternæ dispositionis, *fol. 46.* ; attamen Advocatus D. Xaverius Simonetti, Curator datus futuris vocatis in testamento prædicto, petitioni consensit, relicta quantitate hujus M. C. judicio.

Quum igitur exploratum sit, fideicommissa, præsertim primogenialia, ad perpetuitatem, & decus familiarum esse instituta, æquitati consonum videtur, ex dictis bonis, deficientibus bonis liberis, suppeditari omnes impensas necessarias pro contractione matrimoniorum. Nam sine nuptiis neque perpetuitas fideicommissorum, neque familiarum continuatio obtineri potest, *argum. L.22. §. quum proponeretur ff. ad S.C. Trebell. Nov. 39. cap. 1. de restit.*, unde desumpta *Auth. Res quæ Cod. comm. de leg. & fideicomm.* ; & publice interest, familiarum continuationem, nuptiarumque contractionem adjuvari, *L.19. ff. rit. nuptiar.*

Neque obstat, fideicommittentem impensas erogandas occasione matrimonii æstimasse ducatis 2000. per quemlibet ex duobus filiis heredibus institutis ; in comperto enim est, id testatorem statuisse, relatione tantum facta ad illius temporis mores, non autem ad præsentis ævi

ævi conditionem, quo hujuſmodi ſumma ad præclari matrimonii decus impar evincitur; itaut ſi teſtator ipſe, qui ſuum condidit teſtamentum anno 1730., ad hujus temporis conditionem, & ad matrimonii contrahendi qualitatem reſpexiſſet, certe facultatem heredibus tributam auxiſſet; ideoque recte decerni poſſe videtur id; quod teſtator ipſe vivus feciſſet, *L. Quum ſervus* 82. *ff. de condit. & demonſtr.*

Præterea quum Ill. Dux primogenitus donaverit in beneficium Ill. Marchionis ejus fratris bona ei relicta majoratui ſubjecta, intelligendum eſt, donantem ipſum nolle uxorem ducere, ac proinde alios ducatos 2000. ei libere relictos occaſione matrimonii eidem Ill. Marchioni ejus fratri ſecundogenito donatario ad familiam continuandam in locum primogeniti uxorem ducenti, ſine fideicommiſſi detrimento recte adcreſci poſſe; eo magis quia dictus Ill. Marchio non ſolum gemmis, veſtibus, aliiſque ad ornatum ſponſæ, verum etiam aliis omnibus ad novam domum inſtruendam, atque exornandam neceſſariis indiget, quia antiqua ſupellectilia ad uſum fratris primogeniti remanent. His igitur rationibus hæc M. C. poteſtatem eidem pro ſumma aliorum ducatorum 3000. tribuendam cenſuit, ſubrogatione tamen ad rationem annuorum ducatorum 200. adjecta, ut vocatorum indemnitati omnimode conſuleretur. Verum pro executione *Pragm. un. de vinc. ſeu condit. amov.* hoc decretum non exequatur, niſi facto verbo in S. R. C. junctis Aulis.

Meneillus Act. Mag. Buonocore Scriba.

In

In causa Joannis Baptistæ Massaro cum Joanne Juliano, ut ex actis. Die 15. Januarii 1776.
F.V. a Dom. Judice D.Vincentio Boraggine.

M. C. V., visis actis, decrevit: *Joannes Juliano, adveniente die 15. Augusti currentis anni discedat a territorio, ut ex actis, secus expellatur*. Constat enim, D. Nicolaum Mazzarella, Parochum Castri Loriani, anno 1760. ad triennium locasse Augustino Mazzarella omnia suæ Parochiæ prædia, *fol.* 23.; Parochum vero successorem D. Donatum Zarrillo die 4. Februarii 1775. etiam ad triennium eadem prædia locasse Jo: Baptistæ Massaro, *fol.* 19. a quadere, instante in Regia Curia Civitatis Capuæ Joanne Juliano pro manutentione juxta Regales ordines in sublocatione ipsi facta a conductore Augustino Mazzarella cujusdam portionis eorundem prædiorum, prælationem obtinuit pro mercede liquidanda, non vero manutentionem, *fol.* 5. At producto ad hanc M. C. gravamine, fuit ordinatum, ut, stantibus gravaminibus, causa remaneret, *fol.* 22. Quum igitur Regali Rescripto diei 29. Februarii 1772. sancitum fuerit, ut prælatio in locationibus Loca Pia respicientibus æquitati Judicis relinquatur, quando locatio ad triennium conventa ad longissimum tempus fuerit protracta; quumque in specie, in qua versamur, agatur de sublocatione per triennium, quatuordecim annorum spatio tantum continuata, non autem de locatione ad triennium ad longissimum tempus protracta, nempe spatio triginta annorum; exploratum est, æquitati Judicis ad prælationem concedendam conductori locum fieri nullo modo posse, multoque minus subconductori.

Ut prælationi fiat locus in conductione bonorum, quæ ad Loca Pia spectant, conductionem ipsam longissimo tempore continuatam fuisse, oportet; longissima vero existimatur, quæ ad triginta annos protracta est.

Citarella Act. Mag. Longo Scriba.

In

In causa interpositionis decreti petiti per U. J. D. D. Carolum Mastelloni cum magn. Curatore, ut ex actis. Die 6. Februarii 1776. Referente Domino Judice D. Nilo Malena.

Sive praeobitu, sive renunciatione substituti, in causam caduci substitutio incidit. Filii autem in conditione positi, Doctorum opinionibus missis, nunquam proprio jure ad hereditatem venire queunt.

D. Franciscus Maria Mastelloni, olim Judex M.C.V. & Commissarius generalis Campaniae, anno 1736. suum in scriptis condidit testamentum, quo D. Carolum, & D. Michaelem filios heredes ex asse scripsit, inter quos reciprocam substitutionem hisce verbis ordinavit: *Voglio che morendo ciascuno di detti D. Carlo, e D. Michele miei figli in pupillare età, ovvero ab intestato quandocumque senza figli legitimi e naturali, uno succeda all' altro, e l' altro all' uno, con reciproca sostituzione fra di loro, fol. 6.*

Vita functo D. Francisco, fuerunt per M. C. V. declarati heredes ejusdem praedicti D. Carolus, & D. Michael, *fol.* 39., qui anno 1760. publico instrumento pro capitali ducatorum 13280. dictae substitutioni renunciarunt, ut emptio facta pro ducatis 13280. eidem substitutioni obnoxiis esset libera pro cautela Regalis Domus Incurabilium, & ne Creditores Ill. Principis Collis venditoris illos accipere recusarent, *fol.* 17.

Anno 1739. D. Dominicus Mastellone ultimo ejus testamento, etiam in scriptis condito, D. Dorotheam, & D. Fortunatam ejus germanas sorores scripsit, ipsisque substituit dictos D. Carolum, & D. Michaelem suos ex fratre nepotes, quos invicem substituit, hoc modo: *Voglio che morendo ciascuno de' detti Sigg. D. Carlo, e D. Michele miei nipoti senza figli legitimi e naturali ex corpore legitime discendenti, in detto caso voglio, che l' uno debba succedere all' altro, e l' altro all' uno, essendo così la mia volontà, fol.8. &c.; ed in caso detti miei nipoti ed eredi proprietarii morissero in pupillari aetate, vel post quandocumque ab intestato senza figli*

gli legitimi e naturali ex corpore legitimi discendenti, sostituisco il Sig. Alessio Mastelloni, suoi eredi e successori, essendo così la mia volontà, fol. 11.

Anno 1757. superstite tantum D. Dorothea, D. Michael Mastellone publico instrumento, cum clausula *ex nunc pro tunc*, cessit, & renunciavit ejus fratri D. Carolo omne jus, sibi perventurum ex relata substitutione ordinata a D. Dominico patruo, ut is idem D. Carolus libere uti posset medietate hereditatis qu. D. Dominici, ei perventura post mortem D. Dorotheæ, *fol.* 21.; atque sequuta morte dictæ D. Dorotheæ, bona hereditaria qu. D. Dominici Mastellone obvenere, una cum fructibus, D. Carolo, & D. Michaeli, vigore decreti M. C. diei 5. Junii anni 1761. *fol.* 24., qui eodem anno inter se diviserunt bona prædicta, ut ex instrumento *fol.* 29.

Dictus D. Alexius Mastelloni anno 1765. etiam publico instrumento omnia sua bona, quæcumque jura, & actiones, titulo donationis irrevocabilis inter vivos, D. Carolo quoque ejus nepoti donavit, *fol.* 25.; & paullo post ex hac vita migravit, nullis relictis liberis, *fol.* 63.

Rebus in hoc statu permanentibus, D. Carolus, pluribus filiis procreatis, petiit elapso anno 1775. per M.C.V. declarari, quoad ipsum fuisse resolutas & extinctas relatas substitutiones a qq. D. Francisco, & D. Dominico ejus patre, & patruo ordinatas, firmis remanentibus quoad medietatem bonorum hereditariorum eorumdem ad D. Michaelem perventorum, *fol.* 1.; & dato super deductis termino, illoque servatis servandis absoluto, audito magn. Curatore ad hunc actum, hic assentitur petitis, *fol.* 52., prout etiam D. Michael, *fol.* 44.

M. C. junctis Aulis, declarat, stante renunciatione, & consensu D. Michaelis Mastelloni, substitutionem ejus favore injunctam, tam per D. Franciscum, quam per D. Dominicum Mastelloni in eorum testamentis fol. 6. esse reso-

resolutam & extinctam, nec esse amplius de dicta substitutione quærendum; & stante præobitu qu. Alexii sine filiis, substitutionem in testamento qu. D. Dominici casu mortis sine filiis, & ab intestato D. Caroli, & D. Michaelis incidisse in causam caduci; nec filios dicti D. Caroli, in conditione positos, fuisse & esse dispositive vocatos, ac proinde medietatem bonorum hereditariorum dictorum qq. D. Francisci, & D. Dominici Mastelloni esse immunem a quocumque vinculo, & substitutione in dictis testamentis contentis.

Ratio decisionis. Casu mortis D. Caroli in pupillari ætate, vel post ab intestato quandocumque sine filiis, fuit a D. Francisco substitutus D. Michael, sed hic renunciavit substitutioni ejus favore ordinatæ, uti erat ei facultas faciendi, *L.*41. *de minorib. L.*46. *de pact.*, absque spe regressionis ad jura renunciata, *L.* 14. *§. si venditor de ædil. edicto*; igitur de dicta substitutione amplius non est quærendum; nam omnibus, quibus fideicommissum relictum est, ad distractionem consentientibus, nulla superest fideicommissi petitio, *L.*123. *§.*1. *de leg.* 1. Casu vero mortis D. Caroli, & D. Michaelis in pupillari ætate, vel post quandocumque ab intestato sine filiis, fuit illis a D. Dominico substitutus D. Alexius, qui post generalem renunciationem omnium & quorumcumque suorum jurium, & actionum factam dicto D. Carolo, ut supra relatum est, ex hac vita anno 1765 decessit: igitur ejus præobitu substitutio pro eo injuncta defecit, intercidit, & in causam caduci incidit, *L. un. §. & cum triplici, & §. sin autem sub conditione C. de caduc. toll. L.* 49. *de condit. & demonstr.*, eo magis quia decessit sine filiis, de quibus, vocatis heredibus, ut ait Ulpianus in *L.* 17. *§. ult. ad S.C. Trebell.*, Testatorem sensisse, Divus Pius rescripsit.

Nec M.C. movet, filios D. Caroli esse in conditione positos, ac proinde dici debere dispositive vocatos; nam præ-

præter consensum filiorum dicti D. Caroli, quorum unus est minor, *fol.* 3. *&* 36, M. C. amandatis Doctorum opinionibus ex conjecturis excerptis, etiam pro executione Regalium Rescriptorum dierum 23. Septembris, & 24. Novembris anni 1774. censet filios dicti D. Caroli in conditione positos non esse dicendos dispositive vocatos ex juribus in *L. Lucius* 2. *in fin. de hered. instit. in L. Si quis sub conditione, Si quis omissa causa testam. in L. Vel singulis de vulg. & pupill. in L.* 1. *C. de pactis, in L. Generaliter C. de instit. & substit. in L. Si quis ita heres §. si legitimus de hered. instit. & in L. Ex facto ad Trebell.* Quare merito *JC. Marcianus in L. Filius fam. §. cum quis de leg.* 1. ita scripsit: *Cum quis rogatus erit, si sine liberis decesserit, per fideicommissum restituere, conditio defecisse videtur, si patri supervixerint liberi, nec quæritur, an heredes extiterint*. Nulla quippe Romanorum Jurisconsultorum responsa quid tale redolent, filios in conditione positos proprio jure ad hereditatem venire, sive ut ajunt, dispositive esse vocatos; satis enim sapientes illi inter conditionem, & dispositionem discrimen intercedere noverant; quadere cum sæpissime de hujus generis fideicommissis pertractent, ne verbo quidem hujusmodi sententiam indicant, quæ, ut plerumque in Romanarum legum explanatione evenit, primo ab aliquibus Interpretibus invecta fuit, aucta deinde partium studio; eoque res devenit, ut controversia obscuris nimis offusa tenebris, fuerit deinde efformata, in qua forensium quisque pro suo ingenio sententiam, contra juris regulas, diceret. Verum præsens decretum executioni non mandetur, nisi facto verbo in S. R. C. junctis Aulis.

Pendini Act. Catini Scriba.

In causa D. Francisci Quaranta, cum D. Petro Giovine, ut ex actis. Die 9. Februarii 1776
F. V. a Dom. Judice D. Vincentio Beraggine.

Qui proprietatem fundi tantum habet, recte retrahit jure congrui prædium conterminum.

PEr M.C.V., visis actis, fuit provisum & decretum, *quod D. Petrus Giovine condemnetur ad relaxandum jure congrui prædium, ut ex actis, in beneficium D. Francisci Quaranta, solutis prius ducatis 544, & ass. 30, ac meliorationibus, si quæ sunt, juxta impensum æstimandis. Nihil pro expensis.*

Nam liquet de vicinitate ex instrumento venditionis *fol. 3.*, & ex peritia *fol. 25.*, ac proinde retractui locus fieri debet ad normam Constitutionis *Sancimus, de jure protomis.* Nec obstat, prædium retrahendum esse penes actorem ab anno 1762. quoad proprietatem tantum, retento usufructu a venditore vita ejus durante *fol. 7*; quia usufructuarius non est dominus, nec ususfructus dominium rei minuit; recte autem dicimus, cum fundum totum nostrum esse etiam, cujus ususfructus alienus est, qui ususfructus non dominii pars, sed servitutis est, ut via, & iter, *L. 25. D. de verb. signif.*; & appellatione domini continetur qui habet proprietatem, etsi ususfructus alienus sit, *L. 1. §. 1. ad S. C. Syllan.*; immo etiam qui solam proprietatem habet, non solum dominus, sed etiam possessor intelligendus est; is vero, qui tantum usumfructum habet, possessor non est, *L. 15. D. qui satisd. cogant.*; ac proinde proprietarius fundi retrahendi tanquam dominus & possessor recte potest jus retractus exercere. Præterea quum constet venditorem cessisse usumfructum eidem proprietario, ac omnia jura sibi competentia, *fol. 55.*, ipse proprietarius actionem retractus etiam ex jure cesso, quatenus opus esset, experiri posset.

Buonocore Scriba.

In

In causa Ven. Sodalitii Sanctæ Crucis hujus Civitatis cum magn. Vincentio Torchia, & Vincentio della Monica, ut ex actis. Die 13. Februarii 1776. Referente Domino Judice D. Vincentio Boraggine.

M. C. V. visis actis, decernit: *Sodalitium Sanctæ Crucis hujus Civitatis relaxet jure congrui in beneficium Vincentii Torchia, & Vincentii della Monica aream, eidem Sodalitio venditam a Fratre Nicolao Federici; ac proinde soluto pretio, æstimando per Tabularium S. R. C., prævia buxula eligendum, iidem de Torchia, & Monica immittantur in possessionem dictæ areæ. Verum hoc decretum executioni non detur, nisi facto verbo in S.R.C. pro exequutione decreti fol.* 38.

Prædio in emphyteusim concesso sub canone redimibili, datur locus retractui jure congrui ex Consuetudine Neapolitana; nec obstat vicino, qui absfuit, lapsus anni a die concessionis.

Constat enim, aream prædictam fuisse die 10. Septembris 1768. dicto Sodalitio in emphyteusim concessam pro annuo canone ducatorum quinque, redimibile pro ducatis 166, *fol.*67., qui postea revera fuit redemptus, *fol* 75. Constat insuper, eandem aream esse contiguam ædibus retrahentium, *fol.* 8. Et quamvis iidem retractum petiissent, elapso anno a die contractus, id tamen eis officere nullimode potest, quia annus, juxta consuetudinem, computatur a die scientiæ; & in specie, in qua versamur, nulla quidem hujusmodi scientiæ adest probatio, quum constet retrahentes absfuisse ab hac Civitate, *fol.*55., ideoque existimandum est, contractum ignorasse. Hinc addubitari nequit, dictam aream jure retractus deberi ipsis retrahentibus ad normam Consuet. *Si quis emit, de jure congrui*. Neque obstat in contractibus emphyteuticis non obtinere, juxta Consuet. ipsam, jus congrui; nam emphyteusis, adjecto pacto redimendi, stipulata, venditio omnino censetur, cum in contractibus non verba sint spectanda, sed mens contrahentium, *L. Labeo de supellect. leg. L.* 3. *C. de liber. præter,*

Mangione Scriba.

In

In causa praeambuli qu. Doctoris D. Francisci Empoli. Die 4. Martii 1776. Referente Dom. Judice Ill. Marchione D. Carolo Cito.

Cum intestato defuncto supersint parentes, fratres, sororesque, successio in bonis intra districtum, quoad genitores, defertur ex Jure Communi; quoad fratres vero, sororesque juxta Consuetudinis dispositionem.

DE intestata successione qu. Doctoris D. Francisci Empoli quaeritur in M. C. V. Defuncto superfunt mater D. Theresia Sansone, D. Dominicus, D. Rosa, D. Cajetana, D. Magdalena, & D. Paula, frater, sororesque utroque latere conjunctae; sed disputatio suboritur inter D. Dominicum tantum, & D. Rosam, virginem adhuc in capillis; haec enim renunciationem praefefert matris; ille vero renunciatarius ostenditur aliarum sororum nuptui traditarum, D. Cajetanae scilicet, D. Magdalenae, & D. Paulae. Hinc ex renunciatione matris dimidium hereditatis petit D. Rosa, *fol.* 11.; Contra D. Dominicus, facta bonorum distinctione, contendit, in bonis extra districtum successionem deferendam esse pro quatuor ex sex portionibus in sui beneficium, una nempe nomine proprio, reliquis tamquam trium sororum renunciatarii; in bonis autem intra districtum positis pro quinque ex sex portionibus pariter in sui beneficium, cum onere dotandi D. Rosam, pro reliqua sexta portione in beneficium ejusdem D. Rosae ut ut renunciatariae D. Theresiae matris: sed quo tempore haec deducit D. Dominicus, instat quoque, nullam haberi rationem renunciationis a matre factae, quippe quae & inofficiosa patet, & in fraudem Consuetudinis facta, *fol.* 28. Summario termino super his omnibus compilato, *fol.* 29., M. C. V. prae oculis habens renunciationem D. Theresiae Sansone in beneficium ejus filiae D. Rosae, *fol.* 13., atque instrumentum dotale ejusdem D. Theresiae, quod *alla vecchia maniera* stipulatum est; habens quoque prae oculis instrumenta dotalia D. Cajetanae, D. Magdalenae, & D. Paulae Empoli, quae ostendunt earumdem renunciationes in beneficium D. Dominici, & D. Francisci defuncti, *fol.*

21.

21. 25. *&* 33.; ac testium depositiones, *fol.*31., & cetera acta, decernit:

Interponatur decretum præambuli qu. D. Francisci Empoli ab intestato in beneficium D. Rosæ Empoli in bonis extra districtum, & ubique sitis pro duabus ex sex portionibus, una nempe nomine proprio, altera vigore renunciationis in sui beneficium factæ per D. Thereſiam Sanſone: & pro reliquis quatuor ex sex portionibus in beneficium D. Dominici Empoli, una nempe nomine proprio, & reliquis uti renunciatario D. Cajetanæ, D. Magdalenæ, & D. Paulæ ejus sororum. In bonis vero intra districtum, & Consuetudini hujus Civitatis subjectis, pro una ex sex portionibus in beneficium ejusdem D. Rosæ vi supradictæ renunciationis; Et pro reliquis quinque portionibus in beneficium ejusdem D. Dominici, cum onere dotandi D. Rosam ejus sororem. Et respectu deductorum per dictum D. Dominicum in ejus comparitione fol. 28., *circa invaliditatem supradictæ renunciationis confectæ a D. Theresia Sanſone, tamquam inofficiosæ, & in fraudem Consuetudinis, in biduo audiantur partes. Verum pro executione decreti Regii Consiliarii D. Antonii Carpentieri non consignetur fides, neque copia, inconsulto S.R.C., sive Domino causæ Commissario.*

Pro bonis enim extra districtum hujus Civitatis, ubique sitis, nequit dubitari, quin cum fratre, & sororibus superstitibus admittatur mater pro æquis partibus. Defuncto siquidem sine liberis filio, si soli supersint parentes, ipsi succedunt, salva gradus sui prærogativa; at si cum parentibus fratres, & sorores utrinque defuncto conjuncti supersunt, vocantur cum ascendentibus gradu proximis, itaut viriles portiones fiant, exclusa prorsus omni differentia sexus, & patriæ potestatis, ut habemus in *Auth. Defuncto C. ad S.C. Tertull.*, quæ ortum habuit ex percelebri *Novella Constitut.* 118. *Imp. Justiniani de hered. ab intest. venientib.* §. *consequens, & seq.*

& seq. coll. 9. : ex quo admittitur dicta D. Rosa tam nomine proprio, quam nomine D. Theresiæ Sansone matris pro duabus ex sex portionibus, relictis reliquis quatuor in beneficium D. Dominici, una nempe proprio nomine, & ceteris uti renunciatarii D. Cajetanæ, D. Magdalenæ, & D. Paulæ sororum.

Restat quæstio pro bonis intra districtum; nam ex Jure Consuetudinario sorores, concurrente fratre, ab hereditate fratris defuncti excluduntur; atque ex eodem Jure manat vulgatissimum illud axioma, scilicet, *patre, vel matre existente in medio, non habet locum Consuetudo:* quod quidem non levem dubitandi causam subministrare videtur: Verum axioma illud non aliter intelligendum est, quam quod si supersint filio pater, vel mater, superstitibus etiam fratribus, aut sororibus, pro patre, & matre locum habeat Jus Commune in *dict. Auth. Defuncto*; pro fratribus vero, & sororibus vigeant nostræ Consuetudines, quarum virtute sorores a successione fratris defuncti, concurrente fratre, excluduntur, ut in *§. Sed si morienti*: & hoc sensu verum est, Authenticam *Defuncto* non esse correctam per Consuetudines Neapolitanas respectu parentum, ipsasque locum habere pro collateralibus tantum: nec est incongruum, quod duo, vel plures eidem diverso jure succedant, juxta Papinianum in *L. Nam etsi parentibus §. fin. de inoffic. testam.* Hanc porro esse veriorem, securioremque sententiam docuit Conf. Provenzale *Observat.* 23. ex doctrina Napodani in *Consuet. Si quis, vel si qua num.* 225; & testatus fuit secundum has doctrinas semper fuisse a Sapientibus, & Senioribus nostris judicatum. Item Reg. Rovitus *cons.* 28. *lib.* 2., & ibi plures allegat. Item Montanus *controv.* 1. *num.* 28. Hereditas ergo in viriles dividitur pro matre, fratre, & sororibus, quæ quamvis faciant partem quoad matrem, non accipiunt tamen partem in gratiam fratris, earumque

que portio illi accrescit, qui tenetur eas de paragio maritare *d. §. Sed si morienti:* Item *de Franchis decis. 92. in tertio dubio, & decis. 87.* : Et cum in casu proposito supersint defuncto mater, frater, & quatuor sorores, ideo M. C. censuit interponendum esse Præambulum in bonis intra districtum pro una ex sex portionibus in beneficium D. Dominici, cum onere dotandi D. Rosam, stantibus renunciationibus D. Cajetanæ, D. Magdalenæ, & D. Paulæ.

Crispus Act. Mag.

In causa magn. D. Andreæ Acerbo cum Hieronymo, & Laurentio Lancella, ut in actis. Die 30. *Martii* 1776.
F. V. a Domino Judice D. Nilo Malena.

Die 29. Januarii 1776. D. Andreas Acerbo vendidit Jo: Baptistæ, Hieronymo, & Laurentio patri, & filiis de Lancella quoddam rus, cum ædificiis ruralibus, situm in Turri Octava in loco nuncupato *Monticelli*, pretio ducatorum 1300, & sub annua præstatione uvæ tripondiorum quinquaginta, valoris carolenorum quindecim; adjecto pacto, quod annuus canon perpetuus ducatorum sex, & assium 50. debitus D. Carmino, & D. Ignatio Lancella super dicto rure remaneret ad onus emptorum, & de dicto pretio ducatorum 1300, detractis favore emptorum ducatis 340. pro credito a dicto Jo: Baptista super dicto rure consequendo, reliquos ducatos 950. in solidum solverent dicto D. Andreæ venditori quandocumque ipsis placuisset, una, vel pluribus vicibus, ad rationem non minorem ducatis 100. qualibet vice; & interim durante tempore solutionis respondere tenerentur emptores singulis annis ducatos *66*; quos, pacto redimendi modo, quo supra, dicto D. Andreæ præcipuos ac effectivos vendidere super annuis fructibus & redditibus ejusdem ruris, aliorumque eorum bonorum

Beneficium rescissionis, quod ex læsione venditoribus datur, emptori non competit. Census consignativus, conventione posthabita, ad justam exactionem reducitur.

pro dicto pretio ducatorum 950: adjecto etiam pacto rescissorio casu diminutionis dictorum annuorum ducatorum 66. Superiorum jussu eventuræ, ut ex instrumento *fol.* 2.

Anno 1771. D. Andreas Acerbo petiit in M. C. ducatos 66. a Hieronymo, & Laurentio Lancella causa reditus dictorum ducatorum 950. *fol.*1., qui ut solutionem detrectarent, objecere contractum fuisse læsivum & dolosum; eapropter ad justum modum reducendam exactionem annuorum redituum, & moderandam ad rationem trium pro centenario, sibique restituendas summas indebite solutas ad rationem majorem ab anno 1766. *fol.*16. D. Andreas Acerbo contra, quoties debitores nollent conventas annualitates persolvere, & onera conventa substinere, petiit rescindi contractum, *fol.*20.; & proposita causa in S.R.C. pro observantia Regiæ decretationis Spectabilis Præsidis mandantis, ut de decreto ordinante solutionem verbum faceret M. C. in S. R. C., die 6. Februarii 1722. fuit decretum: *M. C. provideat tam super deducta reductione tertiarum, quam super petita restitutione capitalis, seu rescissione contractus: qua provisione facta, iterum referat, fol.* 24.; M.C. igitur die 17. dicti mensis & anni decrevit: *Super petita restitutione capitalis, seu rescissione contractus; & hinc inde deductis, & prætensis in biduo audiantur partes; & interim a die petitionis fratres de Lancella solvant magn. D. Andreæ Acerbo pro capitali ducatorum 950. ei debito, pro causa ut ex actis, annualitatem, sive interesse ad rationem ducatorum quinque pro centenario, immunem a quocumque onere; & correspondeant etiam dicto D. Andreæ annuam præstationem rotulorum quinquaginta uvæ vulgo dictæ* catalanesca, *fol.* 31.: quod decretum a S.R.C. fuit confirmatum, *fol.* 33.

Et quoniam dicti fratres de Lancella alia eorum comparitione instituerunt, contractum prædictum venditionis nul-

nullum esse declarandum, uti læsivum & dolosum, & condemnandum dictum Acerbo ad damna, expensas, & interesse, ex quo valor dicti ruris, deductis oneribus, vix æquabat ducatos 490, & asses 50., quanti fuit æstimatum a Regio Architecto Cannitelli; hinc super hac nova petitione fuit etiam impartitus terminus ordinarius, *fol.*39., qui fuit per utramque partem absolutus, *fol.* 56.

Ex testium dictis, productorum a fratribus de Lancella habetur, quod reditus dicti ruris non excedit rationem annuorum ducatorum trium pro singulis centenis, & quod dictus Acerbo illo vendito, torcularium cellæ vinariæ ademit, *fol.* 54.; atque ex scripturis in actis exhibitis constat, rus prædictum antea hereditarium qu. Carmini de Bottis pro credito dicti Acerbo ducatorum 890, & assium 72., præter interusurium, fuisse ad ejus instantiam in S. R. C. sequestro suppositum, & venditum, commisso prius appretio magn. Architecto Cannitelli, qui illius valorem ducatorum 890, & assium 50. æstimavit; ac deductis ducatis 400. pro onere ducatorum 24. debitorum dictis de Lancella, valorem ipsum reduxit ad ducatos 490, & asses 50. tantum. Constat etiam, quod inter Creditores ultimo loco dictus Acerbo pro enunciato credito fuit admissus, & anno 1765. sub hasta S. R. C. rus prædictum emit pretio ducatorum 950, absque deductione census annuorum ducatorum 24. *fol.* 26. *&* 131.; illudque duobus mensibus post captam possessionem, vendidit dictis de Lancella finitimis pro eodem pretio, *fol.* 2; & quamvis qu. Architectus Palmisani dictum rus, habito respectu ad tempus venditionis, deductis oneribus, æstimasset ducatis 408, & ass. 51., prout ex peritia ordine M. C. absoluto termino facta, *fol.* 22.; attamen in gradu revisionis, ducatis 975, & ass. 21. a Tabulario S. R. C. Pollio fuit rus prædictum æstimatum, *fol.* 101.

His omnibus perpensis, M. C. declarat: *Non esse locum rescissioni contractus, & restitutioni ducatorum 950, petitæ per D. Andream Acerbo pro causa, ut ex actis; ac proinde fratres de Lancella absolvantur ab impetitis per dictum D. Andream, cui continuent solutionem, & corresponsionem, servata forma decreti M. C. fol. 31., confirmati per S. R. C. fol. 33. Declarat insuper non esse locum petitis per dictos de Lancella respectu prætensæ læsionis passæ in emptione ruris, ut ex actis; ac proinde dictus D. Andreas absolvatur ab impetitis per dictos de Lancella. Neutram partem ad expensas.*

Ratio primæ partis decisionis eruitur ex supra in facto narratis; nam quamvis tempore venditionis, rus, de quo contenditur, fuisset æstimatum ducatis 490, & absoluto termino, ejusdem opinionis fuisset Regius Architectus Palmisani; attamen in gradu revisionis peritiæ dicti Palmisani, Regius Tabularius S. R. C. Pollio retulit, tempore venditionis rus prædictum fuisse valoris ducatorum 975; igitur de prætensa asserta læsione tanquam non vera, M. C. nullam esse habendam rationem putat; & cum res aliter se haberet, examinandusque esset simpliciter articulus, an emptoribus competat beneficium *L. 2. C. de rescind. vendit.*, M. C. sollertiorum interpretum vestigiis insistens, censet, quod dicta *Lex 2.*, quæ loquitur de venditoribus, nequeat emptoribus etiam accommodari; illi siquidem necessitate rei familiaris coacti, cum in summa difficultate nummaria sint, vendere res suas quantumcumque sibi caras impelluntur; secus vero est in emptoribus, qui ultro ad emendum veniunt, affectione opportunitatis, vel vicinitatis, vel coeli, vel quod illic educati sint, vel sepulti parentes, *L. 1. §. sed si rem, Si quid in fraud.*, ut in casu erant ipsi de Lancella, vel quod majorum suorum fuerit, *L. Si emptorem de minor.*; maxime, si rem suam augere vellent occasione rei emptæ: igitur illi, ne re sua careant

reant cum nimio damno, humanitatis causa, ut ait lex, non hi legis merentur auxilium; & quamvis par videatur ratio, ut etiam emptoribus legis beneficio succurratur, data electione venditoribus, ut vel pretium reddant, & rem accipiant, vel quod soluto pretio superest, restituant; attamen si recte res perpendatur, argumentum corruit, deficitque, ex quo venditores inducit necessitas, emptores autem cæca cupiditas; & quando dolus, calliditas, & insidiæ venditorum non circumvenerunt emptores, his beneficium hoc est denegandum: denique delato etiam emptoribus hujus legis beneficio, cum ex eo actio rescissoria oriatur; hæc ad exemplum restitutoriæ quadriennio perimitur; qua de re neque eo se tueri dicti de Lancella possent, postquam diu quadriennium effluxisset.

Secundæ vero partis decisionis ratio quoad ordinatam reductionem eruitur ex *L. Cum quidam, de usur.*, seu potius ex argumento dictæ legis, ubi Paulus refert rescriptum Divi Marci his verbis: *Præsidem Provinciæ adi, qui stipulationem, de cujus iniquitate questus es, ad modum justæ exactionis rediget*; & M. C. præ oculis habendo Ulpiani sententias in *LL.* 37. *de usur.* 10. §. 3. *mandat.* 39. §. 1. *de leg.* 1., scilicet in usurarum taxatione modum regionis esse servandum, easque legitimas esse, quæ in regione frequentantur, modo in decreto expresso usuras æstimat, statuitque; nec M. C. movet pactum in citato instrumento adjectum, scilicet promissæ, & conventæ restitutionis capitalis casu reductionis superiorum jussu; nam illud tamqnam contrarium mori a nostris Tribunalibus recepto, & contradicto judicio millies approbato, etiam pluribus rescriptis S. R. M. Tribunali Mixto directis, parvi est pendendum.

Gilardi Act. Mag.

In

In causa interpositionis decreti petiti per D. Antonium, & D. Januarium de Masellis, ut ex actis. Die 7. Maji 1776.
F. V. a Dom. Judice Ill. Marchione D. Carolo Cito.

Substitutio extinguitur renunciatione ejus, qui substitutus est; nec filii in conditione positi dispositive vocati intelliguntur.

D. Antonius, & D. Januarius Masellis petiere, declarari extinctam substitutionem ordinatam a qu. D. Josepho de Masellis eorum patre, stante renunciatione ab ipsis facta, *fol.* 1. Ex testamento patris rogato manu Notarii Carmini Evangelista sub die 3. mensis Martii 1761., & ob ejus obitum aperto sub die 5. ejusdem mensis, in quo heredes instituit dictos D. Januarium, & D. Antonium, hanc patet ordinatam fuisse reciprocam inter ipsos substitutionem, *si unusquique ipsorum sine liberis decessisset, aut in pupillari ætate, vel post quandocumque*, *fol.* 3. Instrumento vero diei 6. Octobris 1772. manu Notarii de Marino, D. Januarius, & D. Antonius substitutioni prædictæ renunciavere, *fol.* 7. Hinc dato, expletoque termino ordinario, audito magn. Curatore ad tuenda jura testamenti, *fol.* 9. M. C., junctis Aulis, declarat, *substitutionem ordinatam a qu. D. Josepho Masellis in ejus in scriptis testamento esse extinctam, stante renunciatione facta publico mediante instrumento per D. Antonium, & D. Januarium Masellis heredes institutos, & reciproce substitutos: Verum præsens decretum non exequatur, nisi facto prius verbo in S.R.C. junctis Aulis pro observantia Regiæ Pragmaticæ de vinculis non tollendis.*

Comperti enim juris est, posse quemlibet renunciare juri suo; quod autem quisque renunciavit, repetere nequit. Imperator Justinianus in *L. Si quis 29. Cod. de pactis conventis* sanxit: *nemini licere adversus pacta sua venire, omnesque licentiam habere iis, quæ pro se introducta sunt, renunciare.* Nec obstat percelebris inter forenses quæstio, an filii in conditione positi censeantur dispo-

dispositive vocati; hæc enim controversia fuit penitus antiquis legibus, & Jureconsultis incognita, in quorum responsis, cum nihil frequentius, quam ut de fideicommissis sub hujusmodi conditione relictis tractent, nusquam dubitatum est, an ex eo quod Testator liberos in conditione posuit, vocavisse eos, intelligatur? De eo quamplura possent allegari exempla: sufficiat tantum sententia Jurisconsulti *Martiani* in *L. Filius familias* 3. *§. cum quis ff. de legat.* 1., qui docuit: *Cum quis rogatus erit, si sine liberis decesserit, per fideicommissum restituere: Conditio defecisse videbitur, nisi patri supervixerint liberi: nec quæretur, an heredes extiterint.*

Cenatiempo AB.

In causa D. Paschalis Antonii Positano, & D. Josephi Positano cum D. Carmelio Positano, ut ex actis. Die 13. Maji 1776.
Referente Dom. Judice Ill. Marchione D. Carolo Cito.

Debitor ex mora in id, quod interest, tenetur: hoc autem pro circumstantiis statuendum Judicis prudentiæ relinquitur.

MArgarita Positano die 6. Februarii 1747. institit in Regia Audientia Salernitana contra D. Carmelium Positano pro solutione ducatorum 303, & assium 6., reliquæ scilicet quantitatis ducatorum 1350, integri pretii quorundam bonorum ei venditorum; institit etiam pro definitione ejus, quod intererat a die retardatæ solutionis, *fol.* 1. Exhibuit ad hanc rem chirographum a debitore D. Carmelio, a duobus testibus, & a Regio Notario subscriptum, quo idem D. Carmelius in mense Februarii 1744. debitum ducatorum 321. confessus fuit, eorumque solutionem ad quamlibet Margaritæ requisitionem promisit: in hoc autem chirographo adnotatio legitur ducatorum 17, & assium 94, in debiti causam pluribus vicibus a D. Carmelio solutorum, itaut reliqui fuerint ducati 303, & asses sex, *fol.* 5. Constat ex actis, creditum hujusmodi pervenisse ad D. Paschalem Antonium, & D. Josephum Positano; ipsa enim Margarita illud

illud donavit, atque inter vivos cessit Philippo Leoni, *fol.* 35., cui heredes extiterunt Franciscus Antonius, & Josephus Leoni, *fol.* 63. : inter hos autem, & dictos Positano transactio intercessit, vi cujus creditum prædictum ipsis Positano cessum fuit, *fol.* 37. Hinc iidem Positano in eadem Regia Salernitana Audientia ex illa cessione jura sua persecuti sunt contra D. Carmelium Positano, *fol.* 14.; & dato termino ordinario, *fol.* 15., chirographi veritatem subscriptorum testium, ac Notarii depositionibus adstruxerunt, *fol.* 18.; & pecunias in emptiones venditiones immobilium, ac annuorum redituum passim in Oppido Novi collocari ad rationem saltem ducatorum quinque annuorum pro quibuslibet ducatis centum, luculenter probarunt, *fol.* 28. His peractis, Regia Audientia definitivum decretum pronuntiavit die 28. Septembris 1772., quo mandata fuit D. Carmelio Positano solutio ducatorum 303, & afs. sex, salva provisione facienda super petito interesse, *fol.* 40. Appellavit reus ad M. C. *fol.* 47., ubi novi termini decreto interposito, *fol.* 55., libellis suis debitum confessus est, agnovitque D. Carmelius Positano, *fol.* 58. & 72.

Hisce itaque perpensis, M. C. declarat: *Bene judicatum per Regiam Audientiam Salernitanam, & male appellatum fuisse per D. Carmelium Positano; ac proinde idem D. Carmelius condemnetur ad solvendum in beneficium D. Paschalis Antonii, & D. Josephi Positano ducatos 303, & asses sex, vigore chirographi fol. 5. Necnon explicando provisionem reservatam in decreto Regiæ Audientiæ, condemnetur etiam dictus D. Carmelius ad interesse pro summa prædicta, ad rationem annuorum ducatorum quatuor pro quibuslibet ducatis centum a die 6. Februarii 1748. in antea: pro quo effectu fiat calculus per Scribam causæ, requisitis partibus. Nihil pro expensis.*

Constat enim de veritate debiti nedum ex chirographo per sub-

subscriptos testes, & Notarium comprobato, verum etiam ex confessis per eumdem D. Carmelium; in suis enim libellis reliquam pecuniam in antedicta summa ducatorum 303. a se deberi (quod mirum) omnino in M. C. affirmavit. Jure ergo ad illius reliqui solutionem debet condemnari, tam ex comprobatione chirographi, ex *Novella Justiniani* 73. *cap.* 1., quam ex confessis. Imperator enim Antoninus in *L. unica Cod. de confess.* rescripsit Juliano: *Confessos in jure pro judicatis haberi placet: quare sine causa desideras recedi a confessione tua, cum & solvere cogeris.*

In id præterea, quod interest, debitam pecuniam non solvisse, eo saltem tempore, quo in judicio interpellatus est, ipsum debitorem condemnari par est; etenim nulla justa causa, sed fraudandi animo, ac manifesto dolo debiti veri satisfactionem, primum ipsa Margarita creditrice, dein hujus successoribus coram Judice instantibus, differre conatus est. Et debitor si interpellatus non dedit, aut non solvit, committit moram, ex qua ad id quod interest præstandum tenetur, juxta *Martianum* in *L. Mora* 32. *ff. de usuris*. Idem etiam docuit *Pomponius* in *L. Si ex legati* 23. *ff. de verb. oblig.* Immo rescripserunt *Impp. Severus, & Antoninus* in *L. Usuras* 2. *C. de usuris*, etiam sine interpellatione, ob non solutionem pretii rei venditæ, & traditæ, deberi usuras in hæc verba: *Usuras emptor, cui possessio rei tradita est, si pretium venditori non obtulerit, quamvis pecuniam obsignatam in depositi causam habuerit, æquitatis ratione præstare cogitur: unicuique namque sua mora nocet, ut in L.* 173. *§.* 2. *de div. reg. jur.*

Id porro, quod interest, tum ob damnum emergens, quum ob lucrum interemtum, debetur: *Quantum mea interfuit*, inquit Paulus, *id est quantum mihi abest, quantumque lucrari potui*, ut in *L.* 13. *ff. rem ratam haberi.* Idem liquet ex *Juliano* in *L. Venditor ff. de evict.*, & ex

ex *Ulpiano* in *L. 2. ff. de eo quod certo loco*: in qua materia cum certa nequeat definiri regula damni passi, aut lucri amissi, Imperator *Justinianus* judicio Magistratuum, ac eorum prudentiæ id reliquit pro circumstantiis statuendum, ut in *L. unica C. de sententiis, quæ pro eo quod interest profer.* Atqui in Regno paratæ, ac præsto sunt emptiones venditiones, præsertim annuôrum redituum, & hodie ad non minorem rationem ducatorum quatuor annuorum pro quibuslibet ducatis centum sortis, sive pretii. Recte ergo M. C. censet, statuendam definiendamque esse mensuram ejus, quod interest in præsentiarum ad rationem annuorum ducatorum quatuor pro sorte, sive pretio ducatorum centum; & quamvis Regia Audientia de eo quod interest non pronunciavit; non ambigitur tamen, Judicem, ad quem fuit appellatum, de eo debere proferre, parte præsertim petente, ut ex *Diocletiano*, & *Maximiano* in *L. 6.*, & ex *Justiniano* in *L. ult. Cod. de appellat.*

De Vivo Act. Villano Scriba.

In causa interpositionis decreti Præambuli qu. Ill. D. Alphonsi Capano ab intestato, ut ex actis. Die 21. Maji 1776.
F. V. a Domino Judice D. Philippo Mazzocchi.

In successione bonorum, quæ in hac Civitate posita sunt, datur subingressio sororum filiis.

M. C. V. junctis Aulis, cum interventu Domini Regii Consiliarii Boraggine, visis actis, ac decreto Domini Regii Consiliarii D. Hippolyti Porcinari, *fol. 14. & 280.* decernit: *Interponatur Præambulum ab intestato qu. Ill. D. Alphonsi Capano pro medietate in beneficium Ill. Ducissæ Spezzani D. Mariæ Victoriæ Capano ejus germanæ sororis, & pro reliqua medietate in beneficium Ill. Ducis S. Nicolai D. Mutii Gaeta, filii qu. Ill. Ducissæ D. Margaritæ Capano, alterius ejus sororis præmortuæ.* Exploratum enim est, ad successionem absque liberis defuncti cum fratribus, & sororibus superstitibus filios quoque

que præmortuorum fratrum, atque sororum subingressionis jure esse admittendos tam secundum *Nov.* 118., quam secundum Consuet. *Sed si morienti*. Et quamvis ambigatur, an subingressio, quæ in *Novella* non datur ultra fratrum, sororumque filios, & in *Consuetudine* extenditur ad nepotes, & pronepotes ex fratribus, & deinceps in infinitum, locum quoque habeat in nepotibus, & pronepotibus ex sororibus, quod dubium oritur ex verbis, quæ *Consuetudo* subdit, nempe, *in præmissis appellatione fratris sororem non contineri*; id tamen discutiendum non venit in casu, de quo agitur, ubi subingressio non prætergreditur sororis filium, qui extensionis, quam voluit *Consuetudo*, auxilio non indiget.

Nec de amplissimis renunciationibus, quas exegerat frater, de cujus successione agebatur, tam a Ducissa Spezzani sorore superstite, quam a matre Ducis S. Nicolai altera sorore prædefuncta, cum dotes eisdem solverat, rationem habendam esse M.C. putavit; nam cum ipsæ Partes æquale jus ad prædictam successionem haberent, & sibi invicem enuntiatas renunciationes objicerent, hæ inter se confligere, & collidi quodammodo videbantur. Hinc igitur M.C. eas resolutas censuit, & Præambulum fratris defuncti in beneficium sororis superstitis, & filii præmortuæ pro æquis portionibus interposuit. Et respectu deductorum per Ill. Marchionissam Ducentæ D.Mariannam Gaeta, & per Ill. D.Joannam Gaeta in earum petitionibus *fol.* 107. *&c.*, M.C. decrevit: *In biduo audiantur Partes, facta obligatione per Ill. Ducem S.Nicolai earum fratrem de stando juri, & solvendo judicatum, viso exitu termini. Verum pro executione præsentis decreti Partes adeant S.C., sive Dominum causæ Commissarium.*

Cenatiempo Act. Mag. Eldes Scriba.

In causa Creditorum Patrimonii fratrum de Punzo cum Rev. Parocho D. Augustino Punzo. Die 3. Junii 1776.
F. V. a Domino Judice Ill. Marchione D. Carolo Cito.

Quamvis bona, quæ sacro patrimonio addicta sunt, nequeant obligari, obligatio tamen consistit, & recte quoque, creditoribus instantibus, alienantur, cum constet ecclesiastica beneficia Presbyterum obtinuisse.

PRocurator Creditorum fratrum de Punzo deduxit in M. C. V., Rev. D. Augustinum Punzo Rectorem Curatum Parochialis Ecclesiæ S. Marci hujus Civitatis percipere fructus, & reditus dictæ Parochialis Ecclesiæ exemptos ab annua pensione ducatorum 96., olim super dictis fructibus, & reditibus certis & incertis dictæ Ecclesiæ soluta ab ejus antecessore Rev. D. Dominico Russo in beneficium Rev. D. Alexandri Troisii jam defuncti; & proinde dictum Rev. D. Augustinum Punzo congrua decentique gaudere substentatione, etiam ultra Canonicas Sanctiones; qua de re petiit absolvi Patrimonium, sive ceteros creditores a præstatione annuorum ducatorum 36. pro patrimonio sacro ejusdem, ordinata decreto tunc Domini causæ Commissarii diei 10. Februarii 1764. *fol.* 203. *vol.* 2., & confirmata decreto S.R.C. *fol.* 258. Dato termino super hujusmodi petitione *fol.* 5., attestatio exhibita est Rev. D. Andreæ Romano Magistri Actorum Archiepiscopalis Curiæ, facta prævio ordine Rev. Canonici D. Francisci Pauli Puoti dictæ Curiæ Locumtenentis, ex qua constat, primitus fuisse collatam dictam Parochialem Ecclesiam, mediantibus Bullis Apostolicis expeditis Romæ XII. Kal. Decembris 1753., in beneficium Rev. D. Dominici Russo cum onere annuæ pensionis 41. ducatorum auri de Camera in beneficium Rev. D. Alexandri Troisii, *fol.* 3. Exhibita quoque est scheda Mensæ argentariæ SS. Jacobi, & Victoriæ anni 1760., ex qua constat, eundem Rev. D. Dominicum Russo quotannis persolvisse dicto Rev. Troisio annuos ducatos 96. pro dicta pensione ducatorum auri 41. super reditibus ejusdem Parochialis Ecclesiæ, *fol.* 7. Ex alio

alio documento patet, eumdem Rev. Troisium decessisse die 28. Augusti 1760. *fol.* 9. Liquet tandem ex attestatione Scribæ causæ, dictos fratres de Punzo esse decoctores, & nequaquam posse pretio bonorum executorum cunctos satisfieri creditores, posterioribusque creditoribus nil relinqui, cum vix bona prædicta anterioribus sufficiant creditoribus; & liquet pariter, aliquibus ex his creditoribus satisfaciendis sua obligasse bona dictum Rev. D. Augustinum Punzo, *fol.* 13.

His perpensis, & omnibus actis, M. C. declarat, *Patrimonium fratrum de Punzo, sive eorum Creditores esse absolvendos ab obligatione præstationis annuorum ducatorum 36., ordinatæ decreto Domini causæ Commissarii diei* 10. *Februarii* 1764., *confirmato per S. R. C., in beneficium Rev. D. Augustini Punzo Rectoris Curati Parochialis Ecclesiæ Divi Marci hujus Civitatis: ac proinde Patrimonium, sive Creditores ab hodie in antea non molestentur ad instantiam dicti Rev. D. Augustini pro solutione annuorum ducatorum* 36. *Nil pro expensis.*

Integram enim portionem, omniaque bona sua hypothecæ vinculo obligasse eundem Rev. D. Augustinum in beneficium quorundam creditorum, quibus nil remanet ad eorum satisfactionem, constat ex actis; & ideo ejus bona, instantibus iisdem creditoribus, sunt vendenda vel adjudicanda; nam Jure Romano cavetur, ea, quæ specialiter alicui sunt obligata, debitoribus detrectantibus solutionem, vendi debere. Ita rescripserunt Imperatores Diocletianus, & Maximianus in *L. Quæ specialiter*, & in *L. Si in hoc, C. de distract. pign.* Immo Pomponius in *L. Si necessarias* 8. *ff. de pignor. act.* ait: *Cum pignus ex pactione venire poterit, sed ob cetera quoque, veluti usuras, & quæ in id impensa sunt:* & quod de pignore scriptum est, idem & circa hypothecam esse, ac valere docuit Martianus in *L. Si creditor* 7. *ff. de distract. pign.* Patet ergo, bona Rev. D. Augustini sine ulla

ulla detractione, vel deminutione esse vendenda, cum non integra pecunia ejusdem creditoribus possit numerari.

Et quamvis decreto diei 10. Februarii 1764., confirmato per S.R.C., fuisset ordinatum, quod Creditores Patrimonii deberent se obligare penes acta ejusdem de solvendo annuos ducatos 36. in beneficium dicti Rev. D. Augustini, vita ejus durante (ea enim ætate idem Rev. D. Augustinus nullum Canonicum Beneficium erat adeptus, ex eo quod Canonicis Sanctionibus sit cautum, non licere Presbyteris patrimonia sacra, ad quorum titulum fuerunt ordinati, alienare, remittere, aut obligare, *cum non deceat, eos, qui Divino adscripti sunt ministerio, cum ordinis dedecore, mendicare, turpemque, aut sordidum quæstum exercere, ut in Concilio Tridentino Sess. XXI. Cap. II. de Reform.*); attamen cum postmodum idem Rev. D. Augustinus ad Rectoriam Curatam Parochialis Ecclesiæ Divi Marci fuisset promotus, illiusque Ecclesiæ non exiguos reditus ab eo tempore percepisset, absque antiquo onere pensionis annuorum ducatorum 96., qui persolvebantur ab antecessore Parocho in beneficium qu. Rev. D. Alexandri Troisii pensionarii; ideo cessat Canonica prohibitio alienationis, sive obligationis sacri patrimonii ipsius Rev. D. Augustini, cum in aperto sit, & plene constet, posse eum aliunde ex reditibus & proventibus Ecclesiæ commode, & congruenter vitam agere, reditusque prædictos ad honestum sufficere victum, absque eo quod ejus creditores manifesto dolo, ac turpi decipiantur fraude, si nequeant ex bonis ejus, ipsis obligatis hypothecæ vinculo, satisfieri. Cessante ergo penitus causa, & ratione enunciati decreti de die 10. Februarii 1764., id est cessante indigentia ejusdem Rev. D. Augustini, cessare pariter debet obligatio creditorum juxta sententiam Pauli in *L. 139. ff. de reg. jur.*, ubi ait: *Cum principalis causa*

sa non consistit, *nec ea quidem*, *quæ sequuntur*, *locum habent*.

Nec obstant allegata per Rev. D. Augustinum Punzo, id est *Regula Catoniana*, ob quam quæ ab initio non valent, tractu temporis convalescere non possunt: ergo cum tempore contracti æris alieni ipse Rev. D. Augustinus ex canonicis sanctionibus non posset hypothecæ vinculo sacrum patrimonium obligare, ex Canonicis Beneficiis, postea acquisitis per ipsum, nullimode posse convalescere obligationem sive hypothecam super dicto sacro ejus patrimonio, quæ ab initio vel omnino defuit, vel ex Canonico impedimento, & ex defectu potestatis non valuit. Etenim in jure civili adsunt quidam casus, in quibus quæ non valent directo, convalescunt vel remedio retentionis, vel altero exceptionis doli mali ex æquitate. Exemplum habemus ex Papiniano in *L.* 2. *ff. de usucap.*, ubi cautum legimus, venditionem rei dotalis, aut furtivæ, quæ ab initio fuit inutilis, dominio ejus rei acquisito venditori, convalescere, & confirmari, non quidem directo jure, sed remedio Prætoris, remedio exceptionis doli mali; item alia exempla in *L. Titio ff. de pignorib.*, & in *L. Quid enim ff. de dolo.* Videtur item istis legibus non male conjungi posse quod idem Papinianus docuit in *L.* 12. *ff. de doli mali exceptione*: *Quoties æquitate defensionis infringi actio potest*, *locum esse exceptioni doli mali*; significatque, doli exceptionem esse generalem, & manare latissime, id est opponi posse ex omnibus causis, quibus æquum est aliquem agere, aut defendi. Concludendum igitur in hac causa, quod *Regula Catoniana* sit directi juris, quæ tamen ex æquo & bono inflectitur remedio exceptionis doli mali; & ita censet M.C. in præsenti casu.

De Natale Scriba.

In

In causa Andreæ Carbonara, Nicolai Grosso, Michaelis Porcielio, & Joannis Contino cum Carmino Barbone, ut ex actis. Die 25. Junii 1776. F. V. a Domino Judice D. Marcello Ferro.

Pactum reemendi, venditioni appositum, impedimento non est, quin finitimus possessor venditum prædium retrahere queat jure congrui.

Servitutes, cujusque generis sint, dominium non constituunt: quare qui servitutem in fundo habet, nequit ut condominus in illius emptione aliis vicinis præferri.

Cum unus ex finitimis possessoribus alios præveniat in fundi acquisitione, aliorum jus certe non læditur.

Cessio juris congrui, nisi fiat cum ipso prædio contermino, inefficax censetur.

ANdreas Carbonara, Nicolaus Grosso, & socii petierunt in M.C.V. cogi & compelli Carminum Barbonem ad eorum beneficium relaxandum jure congrui quoddam territorium, vulgo dictum *Spaticchio*, eidem venditum a magn. vidua D. Carmina Mongello, ejusque filiis, ut *fol.* 1. Excepit emptor, locum non esse retractui; tum quia contractus venditionis dici nequit, sed pignoratitius dignoscitur ex facultate venditoribus data territorium venditum reemendi intra spatium undecim annorum, ac restituendi pretium ad eorum libitum non minus ducatorum 50. in qualibet vice; verum etiam quia etsi venditionis dici posset, præferri deberet ipse emptor, quippe qui possidet aliud territorium finitimum cum jure servitutis, itineris, ac inibi construendi calcatorium sive palmentum, pro premendis uvis in dicto ejus territorio nascentibus; & prævenit actores in acquirendo, ut *fol.* 11.

Hisce omnibus inspectis, probationibus factis, scripturisque hinc inde editis, M.C. decernit: *Carminum Barbonem condemnandum esse ad relaxandum jure congrui in beneficium Andreæ Carbonara, & sociorum territorium in actis deductum, solutis prius ducatis* 310, *servata forma instrumenti venditionis, fol.*11.; *& cum eisdem servitutibus in eodem instrumento descriptis: facto tamen notamento in margine ejusdem instrumenti. Nihil pro expensis.*

Non enim ambigitur, contractum initum fuisse & esse emptionis & venditionis: constat namque venditores ita voluisse: *Liberamente oggi suddetto giorno il detto territorio, col solo patto di ricomprare fra detto spazio di anni*

anni undici, hanno venduto ed alienato, e per titolo di vendita, e di alienazione per fustem, & in perpetuum *hanno dato, ceduto, e rinunciato al detto Carmine presente il detto Territorio descritto, e confinato colli detti jussi di servitù, e con tutte e singole sue ragioni, ed azioni: Benvero però in qualunque caso, che detto Territorio passasse in altro dominio per ragion di congruo, o di altra causa, il detto Carmine compratore debba essere reintegrato dell'intera somma delli detti doc.* 310. *fol.* 9.

Manifesto ex his cognita contractus natura, rejicienda est disputatio, an in dubio data facultate redimendi, dici potius debeat pignoratitius, quam venditionis, ut per Barbonem autumatur; satis enim notum est, in pignore tria simul necessario concurrere debere, scilicet vilitas pretii, pactum reemendi, & dominium non translatum in creditorem; quibus non concurrentibus, immerito contractus pignoratitius dicitur. *Nemo*, ait Labeo, *videri potest eam rem vendidisse, de cujus dominio id agitur, ne ad emptorem transeat, L. Cum manu sata §. fin. ff. de contrah. empt.*: Nihilo refragante facultate concessa redimendi intra spatium undecim annorum; etenim simile pactum venditionis naturæ omnino convenit, nec reddit contractum conditionalem.

Nec ad rem facit, in territorio deducto habere dictum Carminum servitutem itineris, & facultatem extruendi calcatorium, sive palmentum; ac proinde præferri debere aliis convicinis. Siquidem servitutes non constituunt in prædio servienti aliquod condominium, *L. Loci corpus ff. si servit. vindic. Loci corpus*, ait Ulpianus, *non est dominii ipsius, cui servitus debetur, sed jus eundi habet*; Ideoque nequaquam prodesse pro prælatione in casu retractus, auctoritate *L. Cum fundus ff. comm. prædior.*, docent communiter DD.; unde merito M.C. decrevit esse locum petito retractui, sed cum eisdem servi-

servitutibus, ad normam textus in *L.* 20. *ff. de acquir. rer. dom. §. quoties*.

Neque pariter opitulatur præveniſſe Barbonem in acquirendo; etenim alterius feſtinatione, ait Paulus, jus alterius lædi non poteſt, *L. Cum ſolus ff. de acquir. hered.*; ideoque paſſim habetur apud DD., hanc præventionem minime excludere alios vicinos ad retrahendum, ſed pro cujuſque portione geometrice admittendos; quemadmodum, cum formiter petat, admitti debet is idem Carminus pro rata confinium.

Tandem nec amplius præſtat prætenſa ceſſio ſibi facta de hoc jure per Notarium Vincentium Mongello etiam finitimum, & ſanguine conjunctum cum dicta vidua D. Carmina Mongello; nemo enim ignorat jus retrahendi continere actionem in rem: ideoque utpote reale nequit cedi abſque venditione, vel ceſſione prædii confinantis, ex auctoritate textus in *L. Prætor ff. de ſervit. ruſtic. prædior.* docent *Napod.* in *Conſuet. Si ex uno*, *gloſ. niſi*, & *de Franchis deciſ.* 242.

Friſcura Scriba.

In cauſa Rev. D. Joſeph, & D. Maximi di Lorenzo cum U. J D. D. Alexandro de Ferrante, D. Franciſco Antonio Spena, D Dominico, & D. Cajetano Ciccarelli, nominibus ut ex actis. Die 28. *Junii* 1776.
F. V. a Domino Judice D. Nilo Malena.

Pactum reemendi quocumque tempore, præſcriptioni non ſubjacet; ejuſque exercitium recte contra tertium poſſeſſorem competit.

ANno 1717. Rev. D. Antonius, & Maximus de Laurentio vendiderunt Baroni D. Michaeli Picone territorium modii unius, quartarum octo, ac nonarum ſex circiter, ſitum in agro Caſtri Ortæ, in loco dicto *Orta piccola*, pretio ducatorum 320., cum pacto de retrovendendo illud quandocumque in perpetuum, nulla data longiſſimi temporis præſcriptione pro eodem pretio, ac negata emptori facultate vendendi & alienandi, niſi cum onere pacti prædicti, *fol.* 4. Fuit hujuſmodi terri-

territorium anno 1769. inter alia assignarum D. Alexandro de Ferrante, legatario qu. Baronis D. Scipionis Picone, *fol.* 61. Cumque hic illud possideret, heredes qu. Maximi de Laurentio pactum prædictum exercere volentes, anno 1772. oblato pretio in M. C., institerunt, ut possessor D. Alexander ad dictum territorium relaxandum, ac retrovendendum condemnaretur, *fol.* 1. D. Alexander contra excepit, ob longævam taciturnitatem pactum esse extinctum, actionemque fuisse præscriptam; & consulens sibi, in auctores laudavit heredes dicti qu. Baronis D. Scipionis, ut onus litis assumerent, *fol.* 13.

Fuit in causa ex consensu partium terminus impartitus, adjecta clausula, esse in omnibus audiendos prædictos heredes, *fol.* 17. In judicium itaque vocatis D. Dominico, & D. Cajetano Ciccarelli, ac D. Francisco-Antonio Spena, tanquam coheredibus, *fol.* 13., hic tantum institit contrario imperio revocari decretum termini, *fol.* 21.; quod quidem, oppositis non obstantibus, fuit confirmatum, *fol.* 23.; & exinde per dictos de Laurentio absolutus, *fol.* 26. Actores testium dictis demonstrarunt, territorium prædictum esse idem ac illud, quod a qq. Rev. D. Antonio, & Maximo de Laurentio fuit venditum Baroni D. Michaeli Picone, a quo fuit possessum, & post ejus mortem a Barone D. Scipione ejus filio, & modo a D. Alexandro de Ferrante, legatario qu. Baronis D. Scipionis, possidetur, *fol.* 33.; quod eruitur etiam ex comparitionibus *fol.* 13. *&c.*

Sic itaque termino absoluto, & plenius Partibus auditis, M. C. V. decrevit: *Condemnetur D. Alexander de Ferrante ad relaxandum vigore pacti de retrovendendo, appositi in instrumento venditionis fol.* 8., *in beneficium heredum qu. Maximi de Laurentio territorium ut supra descriptum, soluto ab ipsis dicto D. Alexandro pretio in summa ducatorum* 320. *Nil pro expensis. Salvis juribus*

 dicto

dicto D. Alexandro, si qua competunt, in alio judicio contra heredes dicti qu. Baronis D. Scipionis Picone.

Ratio decisionis quoad relaxationem territorii vigore pacti de retrovendendo eruitur ex *L. 2. Cod. de pactis inter empt. & vendit.*, qua Imp. Alexander sic rescripsit: *Parentes tui ea lege vendiderunt, ut sive ipsi, sive heredes eorum emptori pretium quandocumque, vel intra certa tempora obtulissent, redimeretur, teque parato satisfacere conditioni prædictæ, heres emptoris non pareat, ut contractus fides servetur, actio præscriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur*; & quamvis dictus D. Alexander excipiendo opposuisset, haud posse pactum prædictum contra eum uti tertium exerceri, etiam quia spatio annorum quinquagintaquinque circiter fuerat præscriptum, ac insuper non constare de territorii identitate, tamen M. C. parvi esse dictas exceptiones pendendas putavit. Pactum enim de retrovendendo actionem parit rei persecutoriam, quæ afficit rem; ideoque quemcumque sequitur possessorem; & non ex quo dirigitur contra personam, personalis est dicenda; Dirigitur contra personam, quæ nullo jure est actori obligata, non propter se, sed ratione rei possessæ, *§. omnium actionum Instit. de actionib. L. Actionem 25. & L. Actio 28. de oblig. & action.* Quandoquidem ex citatis juribus actioni in rem locum dat sola res possessa, & cum instrumento anni 1717. inter alia fuisset conventum, ne territorium prædictum alienaretur, nisi cum dicto onere pacti de retrovendendo, ejus alienatio aliter facta, efficere non potest, quin dicti de Laurentio experiri haud possint jus suum contra dictum D. Alexandrum, cui nil præter illud idem jus translatum fuit, quod Baro D. Scipio Picone habebat, *L. 54. de reg. jur.*; secus alteri per alterum iniqua conditio fieret, quod non est ferendum, *L. Non debet eod. tit.*

Exceptioni præscriptionis, quæ ab Imp. Justiniano in *Auth. Ut*

Ut Ecclesia Romana, dicitur *impium præsidium*, *estque extremum victis confugium*, non est advertendum; illa enim adversatur conventis in citato instrumento, quo expresse cautum fuit, posse pactum prædictum exerceri quandocumque, nulla data longissimi temporis præscriptione; nihil vero tam congruum humanæ fidei est, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare, *L.* 1. *de pact.* Hinc Prætor ait: *Pacta conventa servabo*, *L.* 7. *§.* 7. *de pact.*, ac Impp. Diocletianus, & Maximianus in *L.* 8. *C. de pact. inter empt. & vend.* rescripserunt, *conventionem integram servari, si ab ea posteriore pacto non recedatur*. Adversatur etiam dictæ *L.* 2. *C. de pact. inter empt. & vend.*, qua cavetur actionem esse dandam, *ut fides contractus, quo pacta fuit retrovenditio quandocumque, vel ad certum tempus servetur*, & *L. Quod si* 31. *de ædil. edict. §. si quid ita venierit*, ubi Ulpianus ait: *Si vero convenerint, ne in perpetuum redhibitio fiat*, pacto hanc conventionem valere; quod exemplo pacti reemendi ad certum tempus confirmari potest; nam quemadmodum antequam præscriptum tempus excurrat, nulla præscriptione se teneri possessor potest; ita cum nullum tempus, pacto officere posse conventum sit, exceptio præscriptionis omnino excluditur.

Neque ullius momenti censenda est alia exceptio, quoad identitatem territorii, de quo lis est; nam testium depositionibus in termino collectis habetur, territorium prædictum esse idem ac illud, quod fuit anno 1717. venditum: & ex quo in exercendis litibus eandem vim obtinent fides instrumentorum, ac depositiones testium, ut rescripserunt Impp. Diocletianus, & Maximianus in *L.* 15. *C. de fide instrum.*, ideo eorum dictis plena fides est adhibenda, ac proinde exceptio spernenda; eo magis quia in eorum libellis tam D. Alexander, quam heredes qu. Baronis D. Scipionis Picone, de eodem territorio agi, non negasse videntur.

Doct. Pecchia Act. Mag. Bortelli Scriba.

In causa interpositionis decreti quod expedit petiti per Ill. Marchionem Malvezzi. Die 19. Julii 1776.
F. V. junctis Aulis, a Domino Judice Ill. Marchione D. Carolo Cito.

Permutatio rerum, quæ in evidentem fideicommissi utilitatem cedit, Magistratus auctoritate permittitur.

CUm Ill. Marchio D. Sigismundus Malvezzi Senator Bononiensis, & Patritius Romanus, possideret quasdam functiones fiscales, ac adohas reditus annui ducatorum 394, & ass. 71. super nonnullis hujus Regni Universitatibus, partim fideicommissis ordinatis per qu. Gasparem ejus patruum magnum, ac per qu. Periteum Malvezzi ejus patrem obnoxias, & partim a quocumque onere, ac vinculo liberas; incommoda nimis, ob locorum distantiam, ei erat illarum possessio, difficilisque exactio ob pecuniæ adsportationem. Hinc petiit in M.C. easdem vendendi facultatem, obtulitque, ut fideicommissa indemnia serventur, subrogationem nominum pariter fiscalium (quæ vulgo nuncupantur *loca Montis Benedictini*) ab ipso propria pecunia acquisitorum, ac libere in dicta Civitate Bononiæ possessorum super Monte, sive Banco a f. m. Benedicto XIV. Pontifice erecto; atque permutationem hujusmodi in utilitatem fideicommissorum obtulit pro quantitate, ac valore ducatorum Neapolitanorum 10000. super eodem Monte Benedictino, *fol.* 1.

Ex actis confectis in Rev. Curia Archiepiscopali Bononiensi patet, instante eodem Ill. Marchione Sigismundo, & audito Curatore fideicommissis dato, fuisse permissam permutationem prædictam, facta tamen prius adnotatione ejusdem in testamentis qu. Gasparis, & qu. Peritei Malvezzi, & apposito vinculo fideicommissorum prædictorum in libris enunciati Montis Benedictini pro concurrenti quantitate, ac valore ducatorum 10000. Neapolitanorum, *fol.* 18. Patet insuper ex attestatione Tabellionis, vulgo *Camplonerii* ejusdem Montis, Ill. Marchio-

chionem Sigismundum vinculum fideicommissorum apposuisse super nominibus fiscalibus ejusdem Montis, ac prohibitionem alienandi pro quantitate exæquante ducatos 10000. Neapolitanos, *fol.* 29.; atque permutationis adnotationes factas fuisse constat in testamentis qu. Gasparis, & qu. Peritei Malvezzi, *fol.* 33. Accedit & altera attestatio ejusdem Tabellionis, sive *Camplonerii* Montis, quæ ostendit, ex lege fundationis, sive ex privilegio Pontificis Benedicti XIV. nequaquam posse admitti hypothecas, pignora, ac vincula super enunciato Monte, nisi adnotata & descripta in libris ejusdem Montis; nullamque adesse adnotationem super nominibus possessis per eumdem Marchionem, *fol.* 32. His positis, cognitione præmissa, ac probationibus confectis, audito Curatore dato fideicommissis, æstimationem M. C. mandavit functionum fiscalium, & adoharum permutandarum, quam confecit Regius Proxeneta Capuano pro pretio ducatorum 9360, assiumque 60. *fol.* 84. Hinc Curator consensum præstitit petitæ permutationi ob evidentem utilitatem fideicommissorum, *fol.* 94. Hisce autem inspectis, inspectaque attestatione magn. Rationalis Regiæ Cameræ Summariæ D. Carmini Amatruda, ex qua liquet, eumdem Marchionem Sigismundum possidere functiones fiscales, & adohas prædictas exemptas ab onere valimenti, cum omnimoda facultate fructus, sive reditus percipiendi, eas cuilibet vendendi, pretiumque earum a Regno libere extrahendi, stante transactione inita cum Regia Curia anno 1750., M. C. decrevit:

Expedit permutare functiones fiscales, & adohas in actis deductas, possessas per Ill. Marchionem Sigismundum Malvezzi super nonnullis Universitatibus hujus Regni æstimatas pro ducatis 9360, *& ass.* 60., *partim fideicommissis qu. Gasparis, & qu. Peritei obnoxias, partim liberas, cum capitali ducatorum* 10000. *Neapolitanorum super locis Montis Benedictini Civitatis Bononiæ per*

per eumdem Marchionem libere, ac in majori quantitate possessis, & ejus proprio ære acquisitis; Ac proinde stante adnotatione jam secuta in libris ejusdem Montis ordinatæ permutationis, ac stante vinculo fideicommissorum descripto in iisdem libris, & stantibus quoque aliis adnotationibus in testamentis qqu. Gasparis, & Peritei Malvezzi fideicommittentium, loca prædicta Montis Benedictini remaneant pro summa ducatorum 10000. *Neapolitanorum subrogata, & obnoxia fideicommissis prædictis, in omnibus servata forma eorundem: Et e converso functiones fiscales, & adohæ existentes super Universitatibus hujus Regni in actis deductæ remaneant liberæ in beneficium ejusdem Marchionis Sigismundi Malvezzi, ac exemptæ a quocumque onere, sive vinculo restitutionis, & fideicommissorum; ac proinde liceat eidem Ill. Marchioni illas alienare, vendere, & hypothecis obligare, pretiumque illarum sibi addicere ad quoscumque usus, pro libito suæ voluntatis: Verum præsens decretum non exequatur, nisi facto prius verbo in S.R.C. junctis Aulis pro observantia Regiæ Pragmaticæ de Vinculis non tollendis.*

Nequit enim ullimode dubitari, satis esse pergrave Ill. Marchioni Sigismundo, ac futuris vocatis de Malvezzi ob maximam locorum distantiam possidere functiones fiscales, & adohas, ac nimis sumptuosum illis evenire annuos illarum reditus exigere, illosque adsportare Bononiam Civitatem usque; ac versa vice maximæ utilitatis, commodi, & non modici lucri esse ejusdem Marchionis, & vocatorum de Malvezzi fideicommissa bona possidere in loco domicilii. Quod cum ita se habeat, jure merito censet M. C. concedendam esse petitam permutationem, subrogationemque: Habemus enim ex Ulpiano in *L. Aristo ff. de jure delib.*, quod si res sint in hereditate, quarum alienatio sit vetita, & tractu temporis deteriores fiant, posse heredem, adito Prætore, sine

ſine præjudicio eas juſtis pretiis vendere, ſicut ea, quæ nimium ſumptuoſa, & quæ mora deteriora fiant: Docuit pariter Papinianus in *L. Si poſſeſſor* 23. *§. quid ſi poſt D. de petit. hered.* poſſe res hereditarias, quarum diſtractio vetita ſit, ſi ſteriles ſint, aut ſi tempore perituræ, diſtrahi: quo caſu pretium præſtatur: Et Imperator Conſtantinus in *L. Lex quæ Cod. de adminiſtrat. tutor.* vetuit quidem Tutoribus alienationem rerum minorum, attamen eaſdem vendere, vel pignorare permiſit per Judicis inquiſitionem, per cauſæ probationem, & per interpoſitionem decreti, ubi aliqua forte ſint neceſſitate ducti.

Nec denique omittendum M. C. cenſet, functiones fiſcales, adohaſque in Regno exiſtentes fuiſſe æſtimatas pro valore ducatorum 9360, aſſiumque 60., nec eas eſſe integre obnoxias fideicommiſſis: & verſa vice loca Montis Benedictini per Marchionem ſubrogata iiſdem fideicommiſſis eſſe pretii, ac valoris ducatorum Neapolitanorum 10000. Conſtat ergo de ſatis manifeſta utilitate fideicommiſſorum. Ideo M. C. cenſet, permittendam eſſe permutationem, ſubrogationemque per Marchionem Sigiſmundum Malvezzi petitam, argumento deſumpto ex Ulpiano in *L. Cum ii* 8. *§. eam tranſactionem ff. de tranſactionibus*, ubi Juriſconſultus prohibitam de alimentis tranſactionem permittit, *ſi alimentarius meliorem ſuam fecit conditionem*, vel ubi juſta tranſigendi cauſa interfuit, inter quas enumerat, *ſi alibi domicilium heres, alibi alimentarius habeat*, ut in *§. ſeq.*

Paduano Act. Mag. Caputo Scriba.

In causa magn. Prisci lo Chiatto cum Vincentio Russo, ut ex actis. Die 17. Julii 1776.
F. V. a Dom. Judice D. Nilo Malena.

Ex mora dotium usura debentur.

CONdemnetur Vincentius Russo ad solvendum Prisco lo Chiatto, viro & legitimo administratori Elisabeth Russo, interusurium ducatorum 180. *dotalium dictæ Elisabeth, calculandum per Scribam causæ partibus requisitis a die cujusque solutionis, servata forma capitulorum matrimonialium, promissæ haud sequutæ, ad rationem ducatorum quinque pro singulis centenis. Nil in expensis.*

Ratio decisionis: Ex tabulis nuptialibus, quibus per viduam Mariannam Capuccio, & Vincentium Russo matrem, & filium, fuerunt promissæ dotes, habetur pacta solutio earumdem pluribus vicibus, temporibus in dictis tabulis nuptialibus designatis, *fol.*3.; habetur etiam fuisse inter dictum Priscum, & Elisabeth contractum matrimonium per verba de præsenti, dotemque sic constitutam, haud fuisse temporibus statutis solutam. Merito igitur M.C. dictum Russo condemnat ad solvendum modo quo supra; contractus enim, de quo sermo est, inter illos bonæ fidei numerari potest, *argum. L. unica §. sed & si C. de rei uxor. act.*, *& §. actionum instit. de action.*: igitur a die retardatæ solutionis usuræ debentur, *L.* 13. *C. de usur. L.* 2. *C. depos. L.* 2. *C. de jur. emphyt.*, *L.* 1. *in fine de act. empt. L.* 4. *§.* 4. *de leg. commiss. L. Magnam C. contrah. & committ. stipul.*; dies enim certa, & condicta interpellat pro creditore. Eo magis usuræ debentur in casu, de quo agitur; nam si causa finalis dotis constituendæ est, ut ex fructibus possit maritus uxorem, liberosque exinde nascituros alere, & cetera onera ferre, quæ matrimonium comitantur, *L. Is qui stichum §.* 1. *L. Fructus dotis L. Pater in fin. de jur. dotium*, *L. Si maritus*, *L. Pro oneribus C. de*

C. de jur. dot.; ratio postulat, ut ex dotibus, haud temporibus statutis solutis, solvantur usuræ, quos eadem M. C. ad rationem ducatorum quinque pro singulis centenis taxat, sectando morem regionis, juxta monita in *LL.* 27. *de usur.*, 10. §. 3. *mand.* 39. §. 1. *de leg.* 1. Et quia dictus Russo dici nequit temerarius litigans, cum a litis expensis eadem M. C. absolvit.

Doct. Pecchia Act. Mauri Scriba.

In causa Petri d'Amato, ut ex actis. Die 17. Augusti 1776. F. V. a Dom. Judice D. Nilo Malena.

Filii in conditione positi non censentur dispositive vocati.

ANno 1743. Salvator d' Amato ultimum suum condidit testamentum, quo heredes æquis partibus instituit Josephum, Joannem, Franciscum Antonium, & Petrum Paulum suos filios; atque inter eos reciprocam substitutionem hisce verbis ordinavit: *Che morendo ciascuno di detti suoi figli* in pupillari ætate, vel post quandocumque *senza figli legitimi discendenti*, *vuole*, *ed espressamente comanda*, *che l'uno debba succedere all' altro*, *e l'altro all' uno*, *sostituendoli reciprocamente*, *atteso così è la sua volontà*, *fol.* 3. Vita functo dicto Salvatore, fuerunt per M. C. declarati heredes prædicti ejus filii, *fol.* 23.; qui postea æs hereditarium inter se publico instrumento diviserunt, *fol.* 8. Anno vero currenti 1776. mense Januario adivit M. C. Petrus de Amato, qui cum plures liberos ex Antonia Masca suscepisset, petiit declarari filios in testamento dicti qu. Salvatoris positos non esse dispositive vocatos, *fol.* 53. Dato dein super deductis termino, illoque servatis servandis absoluto; audito magn. Curatore, omnibusque aliis interesse habentibus, M. C. decrevit, declaravitque: *Filios Petri de Amato in conditione positos in testamento qu. Salvatoris ejus patris non esse dispositive vocatos.*

 Ratio

Ratio decisionis eruitur ex juribus in *L. Lutius* 2. *in fin. de hered. instit.*, in *L. Si quis sub conditione. Si quis omissa causa testamenti*, in *L. Vel singulis, de vulg. & pupill.*, in *L.* 1. *Cod. de pactis*, in *L. Generaliter Cod. de instit.*, *&* in *L. Ex facto, ad Trebell.* Quare merito Juris Consultus Marcianus in *L. Filius familias* §. *cum quis, de leg.* 1. scripsit: *Cum quis rogatus erit, si sine liberis decesserit per fideicommissum restituere, conditio defecisse videtur, si patri supervixerunt liberi. nec quaeritur, an heredes extiterint*; & merito, nam conditio satis a dispositione distat, quod cum notum esset Romanis Juris Consultis, nec verbo quidem hanc controversiam indicarunt, sed fuit illa ab interpretibus inventa, eoque res devenit, ut quisque Forensium pro suo ingenio conjecturas ex mente Testatoris deducendo, contra juris regulas sententiam pronunciaret.

Crispus Scriba.

In causa interpositionis decreti petiti per D. Stanislaum Aurificchio cum magn. Curatore, ut ex actis; Die 23. *Augusti* 1776.
Referente Dom. Judice Ill. Marchione D. Carolo Cito, junctis Aulis.

Ex bonis fideicommissi, cum libera deficiant, descendentium dotes detrahi possunt.

Dotes possunt legitimam portionem excedere, sicut & legitima minores aliquando esse possunt.

D. Stanislaus Aurificchio M. C. adivit, ut mutuos ei accipere liceret ducatos 2000 super bonis, substitutioni ordinatae a D. Marcellino Aurificchio patre obnoxiis, pro dotanda filia D. Maria Josepha, *fol.* 1. Constat ex actis, D. Marcellinum testamento heredes scripsisse D. Antonium, Rev. D. Nicolaum, ipsum D. Stanislaum, D. Matthaeum, & D. Leopoldum filios, adjecta inter eos reciproca substitutione, cum quisque ipsorum sine liberis decederet, *fol.* 4.: codicillis vero ordinavisse, ut si filiorum filiae collocandae forent, ipsis liceret ex bonis substitutioni obnoxiis illas dotare; quoties iidem bonis liberis carerent, vel tanti non essent libera bona, ut ad dotationem sufficerent, *fol.* 71. Filii here-

heredes instituti & testamentum agnoverunt, prævio laudo confecto ab Advocatis D. Philippo Sabbatino d'Anfora, ac D. Nicolao Farina, *fol.77.*, & præambuli decretum ex eodem testamento obtinuerunt, *fol.76.* Constat insuper, bona D. Stanislai valorem attingere ducatorum 26720, & ass. 24., ceu ostendit relatio Scribæ S. R. C. de Silvestro, *fol.* 131. ; atque ex instrumento dotali pro nuptiis ejusdem D. Stanislai cum D. Marianna Guidetti habetur, fuisse huic dotes ducatorum 8000. constitutos, *fol.* 103. Jam vero is idem D. Stanislaus, ejusque uxor D. Marianna pro dotibus filiæ D. Mariæ Josephæ cum D. Hieronymo Barone nupturæ ducatos 2000. promiserunt, prout videre est ex *abbreviatura* capitulorum matrimonialium, *fol.90.*

Hæc omnia præ oculis habens M.C., sicut & probationes in termino, audito Curatore, productas, ex quibus bonorum liberorum deficientia liquet, *fol.97.*; declarationem item D. Stanislai, *fol.96.*, & instantiam Curatoris, qua consensum præstitit pro interpositione petiti decreti, conditione adjecta de hypotheceandis bonis D. Stanislai pro ducatis 1600, & pro reliquis duc. 400. de hypothecandis dotibus D. Mariannæ Guidetti matris, *fol.*143. declarat : *Quod expedit, ac proinde liceat accipere mutuos, vel ad venditionem annuerum redituum contractu censuali ducatos* 2000 , *conditione adjecta de illis persolvendis pro dotibus D. Mariæ Josephæ Aurificchio in nuptiis per ipsam celebrandis cum D. Hieronymo Barone, juxta minutas subscriptas per Dominum causæ Commissarium, ad rationem non majorem ducatorum quatuor pro singulis ducatis centum : pro quibus hypotheceentur bona hereditaria D. Marcellini Aurificchio substitutioni obnoxia pro ducatis* 1600 ; *& pro reliquis ducatis* 400. *obligentur bona dotalia D. Mariannæ Guidetti juxta consensum Curatoris ; Verum præsens decretum non exequatur, nisi facto prius verbo in S. R. C. junctis Aulis,*

lis, pro observantia Pragmaticæ de vinculis quomodo amovendis.

Dos enim debetur eidem D. Mariæ Josephæ & ipso jure, & facto Testatoris; & pro dote res fideicommissas, vel restitutioni obnoxias alienare, vel hypothecare permissum est, deficientibus aliis bonis, ut in *Auth. Res quæ C. comm. de leg.*, desumpta ex *Nov.* 39. *Justiniani*. Quod fuit etiam in præsentiarum ordinatum a qu. D. Marcellino fideicommittente, permittendo bonorum alienationem pro dotibus filiarum suorum heredum: Ideoque censet M. C. licere D. Stanislao, modo quo supra, ducatos 2000. accipere pro dotanda D. Maria Josepha filia.

Et quamvis ex probationibus, & ex allegatis per Curatorem in ipsius comparitione constet de quantitate bonorum dicti D. Stanislai in ducatis 26720, & assibus 24., qui ex paterna hereditate ipsi pervenere, super quibus, stante numero ejus filiorum, legitima D. Josephæ exæquaret summam ducatorum 1401; attamen cum de Jure Regni, & Consuetudinario dotes fœminis constituantur juxta paragium; id est consideratis facultatibus, ac dignitatibus mulieris, & viri, ac numero filiorum, ut ex *Celso* in *L. Quæro* 61. *ff. de jure dotium*, & in *L. Si filiæ* 41. *ff. de leg.* 3., qui ita scripsit: *Si filiæ pater dotem arbitratu tutoris dari jussisset: Tubero perinde hoc habendum ait, ac si viri boni arbitratu legatum sit: Labeo quærit, quemadmodum apparet quantam dotem cujusque filiæ viri boni arbitratu constitui oporteat? & ait, id non esse difficile & dignitate, & facultatibus, & numero liberorum testamentum facientis æstimare.* Ideo non videtur de jure certa paragii mensura constituta; & fœminæ dotes recipiant secundum pares suas; ipsæque quandoque legitimæ portioni æquiparentur; aliquando autem (ut in maximis facultatibus) sint legitima minores; & aliquando tandem virilem exæquent portionem; si aliter condignum fœminæ virum non inveniant.

niant. Quibus omnibus bene libratis, censet M. C. dotem D. Mariæ Josephæ Aurisicchio de bonis paternis esse admittendam pro ducatis 1600, paulo supra legitimam ejus portionem; & de bonis maternis pro ducatis 400, matris legitimam exæquantibus, juxta consensum Curatoris, ac pro qualitate, & facultatibus sponsorum, ac pro numero filiorum, & more regionis.

Bova Act. Mag.

In causa D. Bernardi Imparato cum D. Josepha Bibiana Imparato penes acta præambuli qu. Doctoris D. Thomæ Imparato. Die 20. Septembris 1776. Referente Dom. Judice Ill. Marchione D. Carolo Cito.

Fideicommisso pro descendentibus instituto, nullo peculiari agnationis, familiæ, vel domus intuitu, tam masculi, quam fœminæ vocatæ intelliguntur. Cum vero Testator non expresserit, quonam ordine fideicommissum deferendum sit, juxta legitimæ successionis regulas deferatur, oportet; itaut in unaquaque linea frater sororem excludat, cum onere eam dotandi, vel maritandi: sed indubium est, fœminam unius lineæ superstitem non excludi a masculis alterius lineæ.

D. Thomas Imparato testamentum condidit anno 1689., quo heredes æquis partibus instituit Bartholomæum, Carolum, & Antonium filios; eique, qui sine legitimis filiis quandocumque decederet, superstites substituit; tum bonorum alienationem, sive obligationem quavis causa, etiam urgente, ac jure probata, filiis heredibus, & eorum descendentibus vetuit; jussitque, bona prædicta penes filios heredes, & ex iis descendentes in perpetuum, & in infinitum conservari. Propterea si quandoque annuorum redituum, vel rerum hereditariarum reemptio contingeret, restitutum pretium, eorumdem filiorum, & ex iis descendentium, qui eorum repræsentarent personas, consensu, & interventu, in novas emptiones collocari præcepit. Et demum filiabus suis congruam, seu de paragio dotem reliquit, *fol.* 1. Præambuli decreto ex hoc testamento expedito, inter fratres heredes paternæ hereditatis divisio facta est, *fol.*7. *&* 30. Ex iis Carolus filios procreavit Nicolaum, Joannem Thomam, Ferdinandum, & Michaelem, ad quos spectare, decretum fuit, bona, quæ ad ipsum Carolum pervenere ex hereditate Thomæ ejus patris, *fol.*69.: sed horum omnium Joannes Thomas tantum superstes eadem bona ex fidei-com-

commisso habuit, *fol.* 76. Joannes Thomas unicam filiam suscepit Josepham, cui, patre defuncto, successionem ad fideicommissi bona contendit D. Bernardus Imparato, quippequi unus superstes est ex agnatione fideicommittentis, tamquam ex Antonio pronepos, *fol.* 37. *&* 118.

M. C. filiam, heredemque intestatam Joannis Thomæ declaravit D. Josepham, *fol.* 155.; ejusque decretum S.R.C. confirmavit, eo adjuncto, quod deducta a D. Bernardo termino ordinario subjicerentur; & quod interim D. Josepha in possessionem immitteretur bonorum patris, quæ ei a Thoma seniore pervenere, eidem injuncta prohibitione alienandi, & obligatione restituendorum fructuum, *fol.* 163. Termino itaque compilato, M. C. decernit:

Bona relicta a Joanne Thoma Imparato, ad eum derivata ex fideicommissaria hereditate Thomæ Imparato ejus avi, post obitum ejusdem spectavisse, & spectare in beneficium D. Josephæ Bibianæ Imparato ejus filiæ, cum vinculis & conditionibus in testamento dicti Thomæ contentis, deductis, & pretensis per D. Bernardum Imparato non obstantibus. Nil pro expensis.

Ex testamento enim dicti Thomæ evincitur, ipsum, æquis partibus heredibus scriptis tribus filiis, fideicommissum ordinasse, ad quod descendentes ex ipsis vocavit. Nam quum alienationem bonorum, & obligationem prohibuerit filiis heredibus, & eorum descendentibus, & penes eosdem jusserit bona in perpetuum, & in infinitum conservari, nequit dubitari, pro descendentibus fideicommisisse, quorum respectu taliter disposuit.

Descendentium vero nomine tam mares, quam fœminas significari, notius est, quam ut demonstratione egeat, ex *§. ceterum in fine Instit. Imper. de legit. agnat. succeff.*, & ex *Justiniani novella Const.* 118. *in princ. & cap.* 1. Ab hujusmodi ergo fideicommisso fœminas haud excludi, ambigi nequit.

Quumque fideicommissum fuerit dividuum inter tres filios, in

in ipsorum lineis successores invenire debentur. Id tantum quæri posse videtur, quonam ordine ad successores in unaquaque linea fideicommissum sit deferendum? Testatorem legitimæ successionis ordinem sequi voluisse, æquius videtur. Successionis autem legitimæ ordo tam scripto Regni jure in *Constit. In aliquibus*, quam hujus Civitatis *Consuetud. Si moriatur, de success. ab intest.*, id tantum fert, ut in ascendentium successione frater sororem excludat, cum onere eam dotandi, vel maritandi. Si vero sola soror supersit, hæc omnino ad ascendentis hereditatem, exclusis masculis collateralibus, admittatur.

In hac igitur causa secundum ordinem legitimæ successionis, cum sola superfuerit D. Josepha Bibiana filia Joannis Thomæ ex linea Caroli, palam est, in eam, excluso prorsus D. Bernardo masculo ex linea Antonii, fideicommissum deferendum fore.

Et sane perperam per D. Bernardum asseritur fideicommissum agnatitium masculinum; nusquam enim id in testamento legitur; nec ex conjecturis elici potest de linea ad lineam substitutio: Absunt enim verba *agnati*, *masculi*, *familia*, *domus*, vel similia. Ideo enorme prorsus esset, exclusa filia, marem admitti alterius lineæ ex testamento, in quo de maribus, & de agnatione nullus fuit sermo.

Nec aliquid eruitur ex eo quod Testator filias exclusit, dotem tantum illis constituendo. Videtur enim, legitimæ successionis ordinem de jure Regni respexisse. At eidem successionis ordini hærendo, a filia debet masculus alterius lineæ excludi. Id præterea confirmatur ex eo quod Testator scriptis tribus filiis heredibus, ei, qui sine liberis decesserit, superstites substituit: Prætulit ergo filiis substitutis filiorum filios, filiasque: Siquidem filiorum, & liberorum nomine tam masculos, quam fœminas comprehendi, satis compertum in jure est, juxta

Ulpianum in *L. Si quis ita 16. ff. de testam. tutela*, *Pomponium* in *L. Si ita scriptum sit 46. ff. de leg. 2.* & *Cajum* in *L. Non est 148. ff. de verb. signif.* Ex quo ergo Testator filiorum descendentes amplissimo nomine vocavit, M. C. censuit admittendam esse D. Josepham Bibianam ad bona Joannis Thomæ patris, quæ ei pervenere ab ejus avo fideicommittente, excluso prorsus D. Bernardo Imparato.

Joseph de Vivo Scriba.

In causa interpositionis decreti pro Ill. Principe Marsicinovi D. Hieronymo Maria Pignatelli cum magn. Curatore, & Ill. Comite, & Comitissa Clarimontis, ut ex actis. Die 27 Augusti 1776.
Junctis Aulis, cum interventu Dom. Regii Consiliarii D. Vincentii Baraggine, Referente Dom. Judice D. Nilo Malena.

Perpetuo fideicommisso pro maribus instituto, vocatisque fœminis in eorum defectu, cum dubitari non possit, an perpetuitatem, progressionemque fideicommissi, etiam cum fœminæ succederent, testator voluerit, pro libertate bonorum pronuntiatur.

QUum Ill. Comes Clarimontis D Petrus Antonius Sanseverino, ejusque uxor D. Aurelia Caracciolo Principissa Turrisnovæ, ac Marchionissa Casalboris, permutare vellent quasdam partitas Arrendamenti, proprias dictæ Ill. Comitissæ, quæ annuos reddunt ducatos 840, cum domo Ill. Principis Marsicinovi D. Hieronymi Pignatelli, insimul cum rure, Cappella, aliisque membris in Casali Barræ; quoniam domus ista obnoxia erat fideicommissis ordinatis anno 1701. 1709. & 1727. ab Ill. D. Hieronymo seniore avo, D. Fabritio patruo, & D. Jo: Baptista patre dicti Ill. Principis D. Hieronymi; post informationem contractus, etiam syngrapha convenerunt, obtinendum esse super prædicta permutatione decretum *Quod expedit*, servata forma Regiæ Pragmaticæ; & ex altera parte decretum, quo declararentur extincta fideicommissa, quibus eædem partitæ testamentis majorum dictæ qu. Ill. Principissæ fuerant submissæ; cujus verba quod ad hanc partem attinet, hæc sunt: *E per un' altra parte si deve interporre decreto dalla*

dalla G.C. della Vicaria, confermato dal S.C., servatis servandis, a spese di detti Sig. Conte, e Contessa, di esser già estinti i fedecommessi, sostituzioni e vincoli qualsivogliano contenuti ne' testamenti de' loro antecessori; e altresì, che non possano reggere il fedecommesso, sostituzioni, ed altri vincoli contenuti nel testamento della fu D. Ippolita de Dura madre di detta Sig. Contessa; e rispetto ad ogni altro vincolo, che forse vi potesse essere nell' antecedenze di dette partite di Arrendamenti; e nel primo acquisto delle medesime, farsi interporre il decreto di Expedit; *acciocchè qualsivogliano vincoli, forsi esistentino nelle partite suddette, sian trapassati sopra la riferita casa nobile, massaria, boschetto, e giardino, fol. 9. &c.*

Ut conventio ad effectum perduceretur, Ill. Principissa M.C.V. adivit; cumque enunciavisset fideicommissa, & substitutiones institutas a Marchionissa Mignani D. Camilla de Dura, ac reciprocam substitutionem ordinatam a D. Camillo de Dura, petiit hujusmodi fideicommissa, & substitutiones extinctas declarari; prætereaque locum non esse fideicommisso contento in testamento D. Hippolytæ ejus matris; proindeque partitas prædictas omni prorsus vinculo immunes ei pervenisse, ut eas libere alienare posset: quæ omnia si difficultatem paterentur, saltem decretum *Quod expedit* super conventa permutatione interponi, *fol.* 82.

Parte ex altera M. C. quoque adivit Ill. Princeps Marsicinovi, qui fideicommissorum existentiam super domo prædicta agnoscens, petiit decretum *expedientiæ* interponi; ex eo quia utile negotium vocatis gerebatur *fol.* 3. Ut juris ordine procederetur, M.C. futuris vocatis familiæ Principis Marsicinovi Advocatum D. Ignatium Parise, vocatisque familiæ Ill. Comitissæ Advocatum D. Gabrielem Morola Curatores dedit, *fol.* 8.; deinde, instantibus Curatoribus *fol.* 71., fuit appretium domus Ta-

bulario S.C. eligendo demandatum, *fol.*174. Hic reditum domus, ruris, aliorumque membrorum summam attingere ducatorum 854. & ass. 14. æstimavit; æstimavitque in unum domus valorem ducatis 24000, *fol.*184.

Curator datus futuris vocatis familiæ Principis Marsicinovi, sua comparitione permutationi prædictæ, utpote nimis utili dictis vocatis, assensit, *fol.*231. Curator vero vocatorum domus Ill. Comitissæ, postquam ea, quæ informatione & syngrapha prædicta inter partes convenerant, enunciavit, ne verbo quidem facta mentione decreti expedientiæ, totus in eo fuit, ut proponeret difficultates, quæ adversus petitam declarationem extinctionis fideicommissorum ex verbis, & mente Testatorum possent oriri; atque id omne judicio M. C. remisit, *fol.* 239.

His ita peractis, a M.C. fuit terminus ordinarius impartitus, jam ex juris forma undique absolutus; ita ut ad causæ decisionem deveniendum sit, pro cujus intelligentia est admonendum, plura esse testamenta hac in re expendenda, ex quibus cum tantummodo testamenta Marchionis Mignani D. Camillæ de Dura, Ducis Erciæ D. Camilli de Dura, & D. Hippolytæ Caracciolo Principissæ Turrisnovæ, & Marchionissæ Casalboris negotium facessere videantur, de his tantum sermo instituendus.

Quod ad fideicommissum attinet dictæ Marchionissæ Mignani D. Camillæ, ex ejus testamento habetur, illam heredem instituisse D. Camillum de Dura ejus germanum fratrem, quem voluit esse usufructuarium, sua vita durante tantum, & post ejus obitum, vel si ante ipsam D. Camillam præmature decessisset, ejus filium primogenitum, & sic deinceps, quos omnes voluit esse simplices usufructuarios, eorum vita durante; & casu extinctionis lineæ masculinæ sic mandavit.

Verum estinguendosi, quod absit, detta linea mascolina discen-

ſcendente dal detto Sig. D. Camillo, in tal caſo in detta mia eredità, e beni vi ſuccedano, e debbano ſuccedere le figlie femine legitime, e naturali del detto Sig. D. Camillo, ogn'una per egual parte, e porzione, purchè ſiano abili a maritarſi, ed a talche colla detta parte, e porzione di detta mia eredità ſi poſſano più commodamente, e da loro pari caſare, e non eſſendo tutte abili a maritarſi, in tal caſo della loro parte, e porzione, ciaſcuna di eſſe ne ſia, e debba eſſere pura, e mera uſufruttuaria loro vita durante tantum, e che morendo alcuna di eſſe caſata ſenza figli legitimi, e naturali, in tal caſo poſſa diſponere della ſua parte, e porzione, conforme la coſtumanza di queſta Città di Napoli in ſcriptis redacta, e nell' altro debbano ſuccedere l'altre ſorelle, e li loro figli legitimi, e naturali ex corpore in ſtirpes, & non in capita, e morendo quelle non caſate debbano ſuccedere l'altre ſorelle ſimilmente quoad uſumfructum tantum, e li loro figli legitimi, e naturali tanto nel detto uſufrutto, quanto anche nella proprietà in ſtirpes, & non in capita, e morendo tutte, quod abſit, ſenza figli legitimi, e naturali ex corpore, ut ſupra, in tal caſo ferma remanente la poteſtà di teſtare a quelle che ſono caſate, ſervata la forma della detta coſtumanza di detta Città, in detta mia eredità e di quello, che rimanerà, vi ſuccedano, e debbano ſuccedere li Sig. D. Gio: de Dura Reg. Conſig., D. Antonio, e D. Fabio de Dura miei cariſſimi, ed amatiſſimi fratelli, o li diloro figli legitimi, e naturali ex corpore in ſtirpes, & non in capita, e voglio, ordino, e comando anco, che ſe alcuno mio erede, che ſuccederà in detta mia eredità ſi faceſſe Religioſo, in tal caſo reſti ſubito privo di detto uſofrutto, che li ſpetta, e in queſto debba ſuccedere l'altro da me chiamato come di ſopra ſta detto, e così ſi debba oſſervare perpetuamente, ſenza che tal Religioſo, poſſa pretendere

re

re cosa alcuna di detta mia eredità, e beni per qualsivoglia causa, ed ordino anco, che in caso, quod absit, alcuno mio erede tenesse figlie legitime, e naturali, e per la sua impotenza non le potesse maritare, o monacare, come a loro pari, in tal caso, non ostante il sudetto fedecommesso, e proibizione da me, come di sopra, fatte, voglio, che tal erede si possa avvalere di detta mia eredità, e beni per quella quantità, che li bisognerà per casare, o monacare dette sue figlie, atteso così è la mia volontà, e così voglio, ordino, e comando, che si osservi inviolabilmente, ut fol. 165.

Vita functa dicta Marchionissa Mignani, ejus hereditas cum præscripto onere fideicommissi, & primogenituræ pervenit ad D. Camillum de Dura Ducem Erciæ ejus germanum fratrem, qui anno 1669. cum duos filios mares haberet, sic, de ea hereditate, tamquam sua dispofuit. *E perchè il capo, e principio di qualsivoglia testamento è l'istituzione dell'erede, senza la quale il testamento de juris censura si dice nullo, per tanto io suddetto D. Camillo Testatore, istituisco, ordino, e fo, anzi colla mia propria bocca nomino a me, miei eredi universali, e particolari D. Alfonzo, e D. Oronzo de Dura miei cari, e benedetti figli* pro æquali parte, & portione, *colla sostituzione reciproca tra di loro, caso che ciascuno di essi morisse senza figli legitimi, e naturali da loro corpi legitimamente descendenti, con restare la roba sottoposta a perpetuo fedecommesso a beneficio delli descendenti mascoli legitimi, e naturali di detti miei figli, ed eredi, ed in mancanza de' mascoli succedano le figlie femine legitime, e naturali sopra tutti, e singoli miei beni mobili, e stabili, presenti, e futuri, oro, argento, raccoglienze, crediti, nomi di debitori, ragioni, azioni, eredità, successioni, ed ogn' altro, che a me predetto Testatore spetta, e può spettare* nunc, & in futurum *in qualsivoglia modo*, præter,

ter, *ed eccetto dell' infrascritte dichiarazioni, e legati, ut fol.* 162.

Cumque Alphonsus sine liberis defecisset, hereditas ex asse Orontio delata fuit. Hic anno 1746. suum condidit testamentum, quo heredem usufructuariam instituit D. Isabellam Pignone del Carretto ejus uxorem, & D. Hippolytam de Dura Marchionissam Casalboris, filiam proprietariam, hac lege, ne unquam legitimæ, aut medietatis bonorum antiquorum deductionem peteret. D. Hippolyta testamento patris non obtemperavit, sed a M. C. petiit declarari sibi spectare, & spectavisse bona omnia, quæ patri obvenerant a D. Camilla Marchionissa Mignani, & D. Camillo Duce Erciæ, idque ob fideicommissa in eorum testamentis contenta *fol.* 175.: & decreto M.C. sic fuit declaratum anno 1750.: *M.C. declarat, bona remansa in hereditate Ill. qu. D. Orontii de Dura Ducis Erciæ, eidem derivata ab hereditate tam supradictæ Ill. D. Camillæ de Dura Marchionissæ Mignani quam supernominati Ill. D. Camilli de Dura olim Ducis Erciæ, stante ejus morte secuta sine filiis masculis, spectavisse, & spectare in beneficium Ill. Principissæ Turrisnovæ D. Hippolytæ de Dura ejus filiæ vigore substitutionis, & fideicommissi ordinati per dictos Ill. D. Camillam, & D. Camillum de Dura in præcitatis eorum respective testamentis, cum iisdem tamen vinculis, substitutionibus, & fideicommissis in dictis testamentis respective contentis, & in omnibus servata forma ipsorum, salva provisione facienda respectu medietatis bonorum antiquorum consuetudini hujus Civitatis subjectorum, ac legitimæ petitæ per dictam Ill. D. Hippolytam super bonis dicti Ill. Ducis Erciæ ejus patris, audita Ill. Ducissa Erciæ D. Isabella Pignone del Carretto, ut fol.* 374.

Tandem dicta D. Hippolyta anno 1758. suum condidit testamentum, quo scripta herede D. Aurelia Caracciolo

lo filia, eique omni alienatione interdicta fideicommissum, & majoratum instituit, ad quod vocavit filium dictæ D. Aureliæ, quem ipsa inter ceteros eligeret, quod si, vel non facta electione prædicta, vel intestata dicta D. Aurelia decessisset, vocavit ejus filium primogenitum, & sic deinceps in infinitum *fol.* 130.

Quæ cum ita essent, comparuit in M. C. V. Procurator dictæ Ill. Comitissæ Clarimontis D. Aureliæ Caracciolo, & institit prius declarari extincta fideicommissa Ill. Domus de Dura e Ducibus Ereiæ, ut exinde petitum decretum, *quod expedit*, nullam subiret difficulrarem *fol.* 371.; quadere notificato eodem Curatore, ipse remisit se instantiæ prius præsentatæ, *fol.* 372.; & relata causa in M.C.V., junctis Aulis, cum interventu Dom. Regii Consiliarii adjuncti D. Vincentii Boraggine, fuerunt per dictam M. C. accurate ponderata, quæ hinc inde adducebantur.

Curator pro perpetuitate fideicommissorum Illustrium D. Camillæ, & D. Camilli de Dura hæc proferebat. D. Camilla, instituta primogenitura, mares ex D. Camillo descendentes primo vocavit, quos usumfructum tantum ex sua hereditate percipere voluit; at si masculorum linea extingueretur, fœminas eodem D. Camillo prognatas ad æquas partes suæ hereditatis capiendas invitavit, ut quæque commodius nuptui posset tradi; si qua vero Viri consortium refugeret, huic nonnisi usufructu suæ contingentis portionis, dum viveret, delato, reliquis sororibus, vel eorum filiis, eandem portionem in stirpes non in capita tribuendam jussit; nuptis vero, quæ absque liberis decederent de decima tantum parte ex forma Consuetudinis hujus Civitatis disponendi facultatem concessit, pariterque ad reliquas novem partes ceteras sorores, vel earum filios in stirpes vocavit, quod si & fœminarum lineam extingui prorsus contingeret, eadem facultate disponendi de parte

te decima nuptis relicta, ad hereditatem Regium Consiliarium D. Joannem, D. Antonium, & D. Fabium de Dura vocavit. Præterea si ex institutis heredibus aliquis monasticum statum aggrederetur, hunc usufructu expertem statim voluit, illumque ad alium deferendum, & sic deinceps in infinitum. Denique si forte accideret, ut aliquis ex suis heredibus filias haberet, quas nuptum collocare ob inopiam nequiret, ei indulsit, ut ex fideicommisso eam distraheret quantitatem, quæ ad filias in matrimonium collocandas sufficeret. Ex his omnibus dictus Curator arguendum putabat, saltem ex præsumpta D. Camillæ voluntate ejus bona ad omnes heredes, inter quos fœminæ numerabantur, eodem cum onere pervenisse.

Progrediens deinde ad fideicommissum D. Camilli idem Curator strenue contendebat, nullam de hujus perpetuitate oriri posse difficultatem; ille enim, institutis heredibus Alphonso, & Orontio suis liberis, cum reciproca substitutione si sine filiis decessissent, hæc addidit: ***Con restare la roba sottoposta a perpetuo fedecommesso a beneficio de' discendenti mascoli legitimi, e naturali di detti miei figli, ed eredi, ed in mancanza de' mascoli succedano le figlie femmine legitime e naturali, sopra tutti, e singoli miei beni mobili, stabili***; quadere eodem orationis contextu, & continuatione fideicommissi perpetui mentionem injecit, cum primo masculos, deinde fœminas ad hereditatem vocasset; quapropter sicuti masculis, fœminis etiam fideicommissi perpetui onus videtur imposuisse: quæ omnia hac ratione confirmabantur, quia nempe D. Hippolyta, in cujus persona bona prædictæ hereditatis, uti etiam Comitissa D. Aurelia censet, libera efficiebantur, defuncto D. Orontio patre, petiit a M. C. declarari bona eidem D. Orontio derivata ab hereditatibus D. Camillæ de Dura Marchionissæ Mignani, & D. Camilli de

Dura Ducis Erciæ ob defectum masculorum ad se spectavisse, & spectare, virtute substitutionis, & fideicommissi in eorum testamentis contenti; atque ita fuit per M. C. decreto supra exscripto declaratum. Cum vero D. Hippolyta extinctionis fideicommissorum declarationem nunquam petiisset, nunquam de immutatione per eundem D. Camillum facta super dispositione D. Camillæ fuisset conquesta; hoc jus neque ejus heredi D. Hippolytæ remansisse videtur, *L. 5. Cod. de inoffic. testam.*

Contra vero Ill. Comitissa omnia, quæ a Curatore allegabantur, studens evertere, quod ad fideicommissum D. Camillæ attinet, ajebat, illius testamentum, præter primogenituram perpetuam pro masculorum linea institutam, fideicommissi speciem nullam præseferre, cum masculis deficientibus, hereditas inter fœminas æqualiter esset partienda, ut earum quæque nuptui posset collocari. Diversimode itaque de masculis, & de fœminis loquuta fuit; pro iis quippe & fideicommissum, & primogenituram aperte instituit, eosque nonnisi usufructuarios voluit; at cum ad fœminas progreditur, singulis contingentem hereditatis portionem pleno jure tribuit, ut earum quæque pro dote, partem suam posset sibi constituere, & quæ sine liberis decederet ex forma Consuetudinis de sua parte posset disponere. Ex his omnibus dicta Ill. Comitissa asserebat, liquido constare, binas in eo testamento diversas dispositiones contineri, quarum alia cum altera nequit confundi, neque quæ de prima dicta fuerant alteri possunt accommodari, præsertim cum de fideicommissis agatur, quæ cum naturalem lædant libertatem, strictissime sunt interpretanda, neque de casu ad casum, aut de persona ad personam sunt extendenda, *L. Quid si nepotes de testam. tutela*, *Instit. lib. 1. tit. qui testam. tutor. dare pot. §. fin.*: satius itaque dicendum esse, conditionem usu-

usufructus pro masculis inductam, in facultatem constituendi in dotem, aut disponendi juxta Consuetudinem pro fœminis fuisse commutatam. Argumentum confirmabatur, quia non eadem pro masculis ac pro fœminis ratio potest considerari; pro masculis enim fideicommissa plerumque inducuntur, quia familiæ decus repræsentant, ac bona per eos in eadem familia conservantur; in fœminis vero familia finitur. Denique verosimile non esset, dictam Camillam ejus generis fideicommissum instituisse pro fœminis, ut tractu temporis in tot personas iterum atque iterum divisum, ob concessam facultatem constituendi uniuscujusque partem in dotem, ac disponendi juxta Consuetudinem, prorsus evanesceret.

Postremo aperte liquere, D. Camillam, in filiis fœminarum fideicommissum extinctum voluisse; siquidem non existentibus filiis masculis D. Çamilli, quos usufructuarios tantum voluit, cum de filiis fœminis ejusdem D Camilli sermo esset, eas non tantum usufructuarias, sed & proprietarias vocavit, qui loquendi modus plenum jus, & dominium infert, *L. 2. de super tit. & L. 26. de acquir. rer. dom.*; argumentum vero perpetuitatis fideicommissi, ductum ex eo, quod deficientibus tam masculis, quam fœminis D. Camilli sine liberis, dicta D. Camilla D. Joannem, D. Antonium, & D. Fabium de Dura vocavit, atque in eorum defectum filios, inane esse dicebatur; nam hujusmodi substitutio, aut inutilis remansit, defuncto D. Camillo, nullis filiis, neque masculis, neque fœminis relictis, aut prorsus evanuit, existentibus descendentibus ex D. Hippolyta de Dura, D. Camilli nepte.

Quod ad fideicommissum D. Camilli attinet, voluit sane hic sua bona perpetuo fideicommisso obnoxia, suosque filios, eorumque descendentes vocavit; at cum, masculis deficientibus, fœminas invitavit, ad sequentes gradus,

 scili-

scilicet ad earum descendentes progressus non est; & licet Curator eadem oratione & mares, & fœminas vocatas fuisse contenderit, proindeque idem onus fideicommissi utrisque impositum crediderit; Ill. Comitissa tamen reponebat, eadem licet oratione, tamen diversimode D. Camillum pro masculis, ac fœminis dispofuisse. Pro D. Alphonso, & D. Orontio, reciprocam substitutionem instituit, si sine filiis decederent; at subdit: *Con restare la roba soggetta a perpetuo fedecommesso*: at de fœminis cum loquitur, his usus fuit verbis: *ed in mancanza de' mascoli succedano le figlie femine sopra tutti &c.* Quare etiam in hoc testamento binæ sunt considerandæ dispositiones diversæ ac distinctæ, quarum una ab altera minime dependet: in prima verbum *remanere* adhibuit Testator, quod perpetuitatem denotat; in altera verbo *succedere* usus est, quod personas succedentium non egreditur; præterea quæ supra dicta sunt, videlicet fideicommissa pro masculis, qui familiæ decus exhibent, plerumque institui, etiam testamento D. Camilli possunt accommodari.

Neque D. Camillus, qui bona fideicommisso D. Camillæ subjecta possidebat, eaque vocatis restituere tenebatur, novum super iisdem bonis onus imponere poterat, vel D. Camillæ dispositionem ulla ex parte immutare, & vocatorum deteriorem reddere conditionem.

Postremo Ill. Comitissa dicebat, nihil ad tuenda fideicommissa prodesse ea, quæ D. Hippolyta egit, cum mortuo D. Orontio patre, decretum spectavisse & spectare petierit pro fideicommissis Camillæ, & Camilli; etenim ad eam bona ab eis derivata spectabant, omni prorsus onere exempta; neque ex eo actu fideicommissorum approbationem in alterius beneficium inferri posse, imo ex testamento ejusdem Hippolytæ contrarium esse statuendum; quandoquidem ea nulla fideicommissorum facta mentione, de omnibus his bonis uti liberis ex suo arbi-

arbitrio dispofuit; inftituendo majoratum, & fideicommiffum diverfum ab iis, quæ a Camilla, & Camillo fuerant inftituta.

Quæ omnia cum accurate M.C. difpunxiffet, in re faltem fatis dubia atque ancipiti, pro libertate pronunciandum putavit, *arg. L. Si fuerit*, *L. Sed fi alio de reb. dub.*, *L. Inter pares de re judic.*, *L. Altius C. de fervit.*; quare fic fuum interponit decretum:

M. C. declarat, fideicommiffum cum primogenitura ordinatum a qu. Ill. Marchioniffa Mignani D. Camilla de Dura in ejus teftamento condito anno 1676. *fuiffe & effe extinctum; Declarat pariter fubftitutionem, & fideicommiffum contenta in teftamento qu. Ill. Ducis Erciæ D. Camilli de Dura fuiffe & effe extincta; Quo vero ad fideicommiffum cum primogenitura ordinatum a qu. Ill. D. Hippolyta de Dura Marchioniffa Cafalboris in ejus teftamento anni* 1758. *declarat, illud firmum remanere quoad bona, de quibus dicta Ill. Marchioniffa D. Hippolyta poterat libere difponere; verum præfens decretum non exequatur, nifi facto verbo in S.R.C. pro obfervantia Regiæ Pragmaticæ.*

Brunus Act. Mag. Pifani Scriba.

MA-

MAGNÆ CURIÆ VICARIÆ CRIMINALIS

D E C R E T A.

In causa Christophori Tranchella principalis inquisiti, & carcere detenti ob furtum variarum rerum, & nummorum valoris ducatorum quadraginta quatuor, ab eo noctis tempore commissum in damnum D. Caroli Giordano, ut ex actis, & ob vitam vagam ejusdem. Die 29. Novembris 1774. Referente Regio Consiliario D. Cæsare Ruggiero Præfecto Aulæ.

Indicia, quæ ex Apparitorum ore pendent, nullo probationis genere firmata, vix maleficii suspicionem tribuunt.

D. Carolus Giordano cum servo mercenario Aloysio Caligiuri, Stabias profecturus, primo diluculo conscendit equos in via prope mare, vulgo *S. Andrea degli Scopari*. Erecto equo, concidit mercenarius. Accitus D. Carolus a fratre suo D. Nicolao confestim de equo desiliit, ac una cum fratre accurrit servo humi jacenti opem laturus: deseruntur equi. Interea temporis sarcinulæ ad posticam partem ephippiorum equi alligatæ subreptæ sunt: in iis quædam vestes, & crumena, ubi inerat summa ducatorum quindecim, fuerant implexa. Latuit fur, nec nisi leviusculis conjecturis Christophorus Tranchella furti insimulatus fuit, & in carcerem conjectus, quod scilicet duorum Apparitorum assertione constaret, eum tempore admissi criminis in ea via adfuisse; quod Tranchella nummum duodecim carolenorum ejusdem quidem speciei, ac ii, qui in crumena asservabantur, Sutori solverit in partem pretii cujusdam tunicæ, vulgo *Saraca*, ab eodem emptæ; quod denique vitam vagam, ac fere desultoriam degere, iidem Apparitores testarentur. Sed quum instructo processu, nihil aliud probatum sit, quam quod Apparitorum assertionibus innititur; quin contra appareat, Tranchella carolenos vigintiquinque mutuos cepisse, ut eam partem pretii Sutori solveret; videntur neque indicia, neque crimen furti, neque vita vaga & iners liquere: quocirca M. C. V. Delegata, perpensa *L. ult. Cod. de probat.*, istiusmodi tulit, me referente, decretum:

Citra præjudicium probatorum, prosequantur diligentiæ, & inte-

interim Christophorus Tranchella consignetur ejus patri, facta per eum obligatione de exercendo artem, & de exhibendo singulis mensibus documentum exercitii artis praedictae Excellentiss. Dom. Regenti M. C., sub poena triremium per quinquennium, servata forma Regiarum Pragmaticarum.

Liberius Pizza Scriba.

In causa Andreae Spina principalis inquisiti, & carcere detenti ob homicidium ab eo patratum ictu scoppictae in Januarium Gisolfi, ut ex actis. Die 29. Novembris 1774.
Referente Dom. Reg. Cons. D. Caesare Ruggiero Aulae Praefecto.

Ex eo, quod verisimilius est, causam criminis Judex dignoscit, in constituenda poena omnino inspiciendam.

M. C. V. Delegata XIV. Kal. Sextilis labentis anni 1774. perpetuis damnavit triremibus Andream Spina, reum homicidii delatum, ita facti seriem expendens. Orta, multis ab hinc annis, in S.R.C. controversia inter D. Hieronymum de Sarno, & D. Franciscum Guerrasi ob usum aquae ab hujus fundo manantis, S. R. C. D. Hieronymo de Sarno aquae, de qua lis erat, statis diebus usum permisit. Hic, ne qua sibi S. C. decreto aqua utenti vis fieret, ab Regia Audientia Salernitana flagitavit, impetravitque Satellitem. Mittitur itaque Andreas Spina, qui id curaret, ne quae ad fontem nascerentur rixae. Paucos post dies D. Franciscus Guerrasi venit de more ad fundum suum, in quo, ut dixi, salientis aquae fons erat; confestim tamquam contemptor S.C. decreti in vincula immerito conjectus est, conjectique sunt in vincula coloni ejus ab Andrea Spina, aliisque Satellitibus ejusdem Audientiae Salernitanae. Interim Dominum suosque socios vinctos, ac Satellitibus circumfusos videt ab aquaeductu, quem reficiebat, colonus alter Januarius Gisolfi nomine, eaque rei novitate perculsus, it obviam Satellitibus ligonem gerens, quod videtur ex ipsis testium assertionibus elici posse. Andreas Spina jubet venien-

nientem deponere humi ligonem; jubenti non paret Januarius, immo fugam arripit, ut plurimi asserunt testes: interea Andreas Spina, Josepho Lombardo Benedicti filio, villici D. Hieronymi de Sarno, incitante, flexo ad cerasum arborem poplite, ictu balistæ igneæ, quam inter manus habebat, fugientem percutit Januarium Gisolfi, qui octo fere ab accepto vulnere diebus elapsis, miser interiit: atque hæc summa rerum.

Quamquam autem primo intuitu Andream Spina pœna capitis videbatur plectendus; inverisimile tamen M.C. visum fuit, ab Andrea Spina nulla penitus injuria affecto Januarium Gisolfi occisum fuisse: Verisimilius autem, Januarium Gisolfi sublato ligone Andreæ Spina; cererisque Satellitibus vulnera minatum fuisse, animoque vim inferendi accessisse, ac circumstantias homicidii testes, ut fieri solet, in gratiam D. Francisci Guerrasi reticuisse: cum enim, qui judicat, magis scire posse quanta fides habenda sit testibus, nemo non dubitat, *L. Testium fides* 3. §. *ideoque* D. *de test lib.* Quibus omnibus perquisite, ut par erat, pensatis; M. C. V. Andream Spina perpetua triremium pœna sententia definitiva damnavit, quum respiciendum sit Judici, ne quid durius, aut remissius, quam causa deposcit, constituatur, *L. Respiciendum* 11. *D. de pœnis*.

Huic M.C. sententiæ reclamavit Dominus Regii Fisci Patronus; quamobrem eadem M. C. iisdem rationibus ducta, hujusceemodi tulit, me referente, decretum:

Rubricatus Andreas Spina transmittatur juxta condemnationem.

Franciscus de Alexandro Act. Mag. Joannes Labella Scriba.

In causa Regii Fisci cum Hermenegildo Petraroja, Joanne Astarita, alias Ciannetiello, *Dominico di Micco, alias* lo Schirchio, *Vincentio Bracigliano, & Vincentio Cappiello, vz. respectu prædictorum Petraroja, Astarita, de Micco, & Braciglione principalium inquisitorum & carceratorum de duobus furtis nonnullarum vestium, præcedente concertu, noctis tempore secutis in apothecis sartorum Paschalis Bisconte, & Thomæ Rosolia, prævia fractura januarum earundem, cum duobus palis, uno ligneo, altero ferreo, in summa ducatorum octoginta quinque; ac etiam de alio tentato furte pariter noctis tempore cum fractura januæ cujusdam domus: respectu vero Vincentii Cappiello, cum mandato per Palatium detenti, de emptione aliquarum trinarum argentearum, vulgo dictarum* galloni, *ut ex actis. Die 19. Decembris 1774. Referente Dom. Jud. D. Paschale Perelli.*

Capitali pœna non punitur Reus, etsi confessus, cum multæ confessionis circumstantiæ verificatæ non sint.

Indiciorum qualitate inspecta, pœnam Judex arbitratur.

INspectis omnibus actis, ac Domini Fisci Patrono, & reorum Advocatis in Aula plenius auditis, M.C.V. Del. decrevit: *Rubricatus Hermenegildus Petraroja, reus confessus, prævia fustigatione, inserviat in Regiis triremibus S. M. per annos viginti*: Quamvis enim *Cap. Ad hoc* Regis Caroli Andegavensis sub titulo *de furtis*, mortis pœnam imponat contra fures ultra unciam; visum tamen M. C. temperandam pœnam dicti Capituli, cum confessio præfati Hermenegildi, tametsi fuerit verificata in quamplures facti partes, & circumstantias, non tamen in universas; nec clare constet de consilio ante habito inter reos in perpetrandis enunciatis duobus furtis respectu ipsius Hermenegildi: *Rubricatus Joannes Astarita, reus urgentissime inditiatus, inserviat in Regiis triremibus per decennium*: *rubricatus Dominicus de Micco, reus urgenter inditiatus, inserviat in Regiis triremibus per septennium; & rubricatus Vincentius Braciegliano, reus inditiatus, inserviat in dictis Regiis triremibus per triennium*; citato *Cap. Ad hoc*, taliter arbitrando inditia, & probationes ex vetusto recepto usu sic judicandi, adprobato quampluribus Regalibus diplomatibus, & ex *L. 2. C. Quæ sit longa consuetudo*, ex *L. 38. ff. de legibus, Senatusconsultis, & longa consuetudine*, & ex argumento Regiæ Pragmaticæ 11. *de emtione*,

tione, & venditione §. 6.: Et tandem rubricatus Vincentius Cappiello liberetur in forma; cum contra eundem desiderentur legitimæ probationes, ex regula juris, quod actore non probante, reus absolvitur, *L. 4. C. de edendo.*

Joseph Califano Scriba.

In causa Feliciæ Nocerino principalis inquisitæ, & carcere detentæ ob furtum domesticum gemmarum, vulgo fioccagli di diamanti, *valoris ducatorum 1200. cum pignoratione earundem facta in publico Banco pro summa ducatorum 620. in damnum Ill. Marchionissæ D. Annæ Brancaccio, ut ex actis. Die 20. mensis Decembris 1774.*
Referente Dom. Reg. Cons. D. Cæsare Ruggiero Aulæ Præfecto.

Furti argumenta, quæ Reum, æque ac innoxium urgent, ut ut satis dubia, condemnationi non sufficiunt.

ILl. Marchionissa D. Anna Brancaccio, uxor Marchionis D. Michaelis Angeli Mastellone, fuisse sibi subreptas gemmatas inaures, quas emerat ducatis 1200, conquesta est; easque mense Junio labentis anni a Roberto Bruno, homine quidem ignoto, ad Bancum Pauperum ducatis 620. oppignoratas fuisse, sibi condoluit: itaque furti querelam instituit. Anna Tardivo, quæ erat a mundo muliebri, quam aliquæ furtum admisisse arguebant suspiciones, furti fuit insimulata. Detrusa in carcerem Anna; quidam Sacerdos a confessionibus notam pignoris tradidit Marchionissæ, nunciavitque, Annam Tardivo criminis nesciam prorsus esse, eumque furti insontem, qui sub Sacramentali confessionis sigillo sibi pignoris dederat notam; tandem domi furtum fuisse commissum asseveravit. Sacerdotem Marchionissa sic loquentem quum audivisset, merito suspicata fuit, Feliciam Nocerino famulam ejus ipsi inaures eripuisse; Feliciæ enim claves armarii, quo inaurium theca servabatur, persæpe tradiderat, nunc ut sudariola extraheret ab armario, nunc ut illud aperiret, vel reseraret; Felicia in cubiculo Dominæ, in quo collocatum erat armarium, versata erat sæpissime; Felicia leviuscula furta in

in penu committere paucis ab hinc mensibus consueverat; Felicia denique, quum Sacerdotem scalas domus ascendentem vidisset, statim divinavit, eundem pignoris notam ad Marchionissam perferre: quas ob res, una cum Dominico Santagata, qui etiam erat in famulatu Marchionissæ, in carcerem conjecta fuit; quippe Dominicus, utpote qui in deliciis habebatur a Felicia, furti conscius credebatur. Dimissis autem e carcere ob incertitudinem facti Anna, & Dominico, M. C. V. Delegata vinculis adhuc continendam jussit Feliciam: multa siquidem, ut diximus, argumenta eam urgebant. Instructo tandem processu; apparet non minus Feliciam, quam Annam in interiore ædium parte versatas fuisse, ac armarii claves tam Feliciæ, quam Annæ Marchionissam sæpissime tradidisse; ac propterea non clare liquet ab una Felicia furtum potuisse committi. Ideoque quæ acquisita fuerunt indicia, minime quidem condemnationi sufficere M. C. censuit, *L. ult. C. de probat.* Quumque, deficientibus probationibus, Rei sint absolvendi, *L. Qui accusare 4. C. de edendo*; propterea eadem M. C., me referente, & auditis Regii Fisci, & Reæ Advocatis, decretum tulit hujusmodi.

Rubricata Felicia Nocerino liberetur in forma.

Paschalis Calamaro Act. Mag. Joannes Caruso Scriba.

In

In causa Paschalis Colella principalis inquisiti, & carcere detenti, primo ob furtum ducatorum 300, ab eo commissum in damnum D. Josephi de Porcellinis, præcedentibus falsis mandato Procurationis, & copio instrumenti ratibabitionis alterius instrumenti in damnum D. Francisci Trenca: secundo ob furtum ducatorum 55., & ossium 75. ab eo cum falsitate factum in Banco Sanctæ Mariæ de Populo hujus Civitatis, in damnum ejusdem D. Josephi de Porcellinis: tertio ob aliud furtum ducatorum 17., & assium 61., ab eo similiter cum falsitote patratum in Banco S. Eligii in damnum D. Josephi Trenca: postremo ob falsitatem pariter ab eo commissam, ut conjicitur, in Fide Crediti Banci Spiritus Sancti ducatorum 10. mediante rasura dictæ summa, & falsa girata, ac subscriptione D. Fabritii Fusco, furandi causa eidem D. Fabritio ducatos 794., in dicto Banco existentes in faciem, & creditum illius, ut ex actis. Die 20. mensis Decembris 1774.
Referente Dom. Reg. Conf. D. Cæsare Ruggiero Aulæ Præfecto.

Mitius agitur cum eo, qui diutinum carcerem passus est.

PAschalis Colella, patria Aversanus, mense Majo anni 1758. ad amicitiam sibi adjunxit D. Josephum de Porcellinis Neapoli degentem, quem sciebat aliquid otiosæ pecuniæ, quam fœnori dare volebat, servare. Paucos post menses petiit ab amico suo D. Josepho, ut sibi, & D. Francisco Trenca Aversano civi ducatos 300 daret in fœnus, quibus habere se opus ajebat pro primo uxoris partu jamjam pariturae: his subdidit dictis, D. Franciscum Trenca morbo, nescio quem, laborare, ac propterea Neapolim stipulatum venire non posse; eundem vero D. Franciscum ratum habiturum quidquid Neapoli ipse Paschalis, & D. Josephus egissent. Gravate ille primo rem accipere est visus, impetrat tandem, quod petiit Colella; itaque D. Josephus quinto nonas Octobris jubet accersiri unum ex tabellionibus hujus Civitatis, Testes, & Judicem, quem vocant ad contractus: his præsentibus asserit Colella falsiloquus, se una cum D. Francisco Trenca Aversæ morante emere a D. Josepho ducatos 300. annuis ducatis duodecim: ambo emptores pecuniam illam D. Josepho redhibituros ad libitum ejus: ambos eo nomine bona sua nexui subjicere obligationis; ipsum præcipue rus quoddam suum, quod simulate ait possi-

possidere; D. Franciscum vero Partitam, ut ajunt, Arrendamenti, quam revera possidebat ille, machinationum Paschalis ignarus. Quæ asserit Colella, suo D. Josephus consensu confirmat: perficitur itaque emptionis, ac venditionis contractus, cui, D. Josepho rogante, tanquam Procurator D. Francisci Trenca, interest, sine Procurationis mandato, Doctor D. Nicolaus Ambrisi. Exarato instrumento, Colella spondet, se quam primum laturum Procurationis mandatum, atque instrumentum ratihabitionis D. Francisci rerum inter ipsum, & D. Josephum actarum. Elapso triduo, Colella, fingens se venire a D. Francisco Trenca, adit domum D. Josephi cum fasciculo chartarum: fasciculum accipit D. Josephus, mox resignat, & primum recitat mentitum Procurationis mandatum, quo ut finxerat Colella, D. Franciscus Trenca Procuratorem constituerat D. Nicolaum Ambrisi ad contractum, quo de diximus, celebrandum: recitat deinde exemplar itidem falsum instrumenti nunquam confecti, quo, ut idem simulaverat Colella, D. Franciscus Trenca ratum habuerat instrumentum Neapoli quinto nonas Octobris peractum: & putans D. Josephus (non enim noverat Paschalis ingenium) nil inde doli subesse, scripturas tabellioni ad id vocato servandas, apocham vero ducatorum 300. Paschali tradidit; qua exhibita Banco, ducatos 300. ei numeravit Arcarius. Quippe sic in animum induxit suum Colella, ut non nisi dolose, fraudulenter, & maturo judicio pecuniam acciperet a D. Josepho: quæ quidem crimina, furti nimirum, & falsi, licet ejus confessione patefacta non sint, commisisse tamen convictus est.

Idem Colella pridie idus Martias anni 1759. exhibita Banco Populi Schedula omnino falsa, vulgo *Mandato di Arrendamento*, mentitum nomen, & cognomentum ejusdem D Josephi de Porcellinis habente, ac sedulo imitatam tabellionis cujusdam subscriptionem; exegit ab eodem

eodem Banco ducatos 95, & asses 75.; eodemque fere pacto XV. Kal. Aprilis ejusdem anni exegit a Banco S. Eligii ducatos 17, & asses 61., creditum scilicet D. Josephi Trenca.

Praeterea XI. Kal. Januarii anni 1762. traditis Arcario Banci Spiritus Sancti ducatis decem, apocham fieri voluit, qua D. Fabritius Fusco illius pecuniae creditor scriberetur: hic autem eodem die ducatos 794. Banco crediderat. Interea Paschalis, recepta, quam petierat apocha, stylo abrasit, ac inde calamo duxit literas fere singulas nomen, & cognomentum D. Fabritii componentes, ab eo scriptas, qui apochis formandis destinatus erat: eodem ferme modo vitiavit characteres exprimentes summam ducatorum decem tam ab apochae formatore, quam ab Arcario descriptos; nec non ipsas numerorum notas denarium indicantes vitiavit: quamobrem suspicata est M.C.V. Delegata, Paschalem Colella ideo apocham illam vitiasse, ut ducatos 794. D.Fabritii furaretur a Banco: facile enim unitatis notam mutare poterat in septenarium, cyphram, seu *zero*, in novenarium, hisque addere quaternarium; eundem vero Paschalem, quia idem in characteribus difficillimum erat praestare, ab incepto nimis arduo destitisse. IX. Kal. Januarii venit ad Bancum Colella exacturus ducatos decem, quos ibi nomine D. Fabritii biduo ante deposuerat: interim apocharum inspectori, vulgo Pandectario, considerata, quam Colella edidit, apocha; falsa omnino visa fuit D. Fabritii subscriptio ipsi notissima (erat enim D. Fabritius tabularius Ill. Ducis Magdaluni, solitus pecuniam ad illud Bancum deponere in fidem publicam) ac ipsa apocha vitiata; propterea que in carcerem illico detrusus fuit Colella, falso asserens esse se D. Fabritium; eoque in carcerem conjecto, omnia, quae memorata sunt, crimina fuere detecta. Ceterum trium postremorum criminum aliqua tantum indicia Paschalem Colella demonstrant auctorem.

Licet autem Patriæ leges hujuſcemodi criminum Reos ultimi puniant pœna ſupplicii, *Pragm. V. VIII. IX. & X. tit. de Falſis*, ac Regni Conſtitutione lata ab Auguſtiſſimo Hiſpaniarum Rege anno 1751., attamen quia Paſchalis diutino tempore agit in carcere; pœnam ejus molliendam cenſuit M. C. V. *L. Si diutino 25. D. de pœnis*: quapropter, me referente, ac auditis Regii Fiſci, & Rei Advocatis, iſtiuſmodi tulit Decretum.

Rubricatus Paſchalis Colella remiget vita durante.

Luccia Act. Mag. Liborius Pizza Scriba.

In cauſa Philippi Gemelli principaliz inquiſiti, & carcere detenti ob furtum domeſticum quarundam rerum valoris ducatorum plus minus 40., ab eo commiſſum in damnum Agnelli Roſſi, ut ex actis. Die 3. Januari 1775. Referente Dom. Reg. Conſ. D. Cæſare Ruggiero Aulæ Præfecto.

Furti indicia contra eum, qui ejuſdem criminis alias fuit damnatus, ad pœnam ex Patrio Jure infligendam merito ſufficiunt.

PHilippus Gemelli, natione Ligur, menſe Quintili anni 1773. fuit ab Agnello Roſſi Scriba Fiſcali, ut ei famularetur, conductus, mercede ſingulis ſolvenda menſibus pacta. Principio Philippi opera ſibi, reique ſuæ familiari perutilis viſa fuit Agnello; tum quia diligentiſſime ſua munia Philippus exhibebat; tum quia fidei integritate, in hujuſmodi hominibus magnopere deſideranda, præditus videbatur; quocirca tam ab Agnello, quam ab hujus uxore nunc placenta donabatur, nunc pulte. Idibus Maji anni nuperrime elapſi truſatile vas ſtamneum globatæ figuræ, aquæ refrigerandæ deſtinatum, mappæ non paucæ, nonnulla linteamina, ac mantilia quædam; quorum aliqua manuum, & faciei ſordibus abſtergendis, aliqua vero menſæ erant addicta, notæ non quidem infimæ, Agnello fuere ſubrepta. De hujuſmodi furto a Philippo famulo ſuo, ut ajebat, commiſſo, ſtatim cum amicis conqueſtus fuit Agnellus, ac una cum uxore graviter Philippo ſuccenſuit. Philippus primo id a ſe factum negavit, mox promiſit, ſe facturum,

rum, ut postridie idus Majas a quodam Patre Jacobo Ordinis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci res reciperet subreptas Agnellus: venit dies, & verba pro rebus Domino dedit Philippus; quapropter vesperi famulo valde stomachatus fuit Agnellus, eumque statim ire jussit ad Patrem Jacobum, Pascha Adece, & Anna Scala comitantibus: quum autem ventum fuit ad Conventum, ubi Pater Jacobus degebat, Philippus, insalutatis viæ comitibus, sese in fugam conjecit. Redierunt itaque ad Agnellum mulieres, eique nunciarunt, Philippum, ipsis in via relictis, fugam arripuisse, quod, ubi audivit, furti Philippum accusavit Agnellus. Detruso in carcerem Philippo, instructoque rite processu; liquido apparet, ipsum in interiore ædium parte solitum fuisse versari, in culina præsertim post prandium per integras horas duas, ubi ollas, & lances, cibis inquinatas, calida purgabat, & in cubiculo, quod communi pariete culinæ jungitur, ubi locata erat arca viatoria, vulgo *Baule* (cui semper clavis erat apposita) qua mappæ, mantilia, & linteamina servabantur: apparet itidem, eundem Philippum in alio cubiculo Agnelli, cubili contermino, in quo alia arca viatoria (cui pariter clavis continuo hærebat) mantilibus, linteisque referta, reposita erat, in dies fuisse versatum, quin aliquis ad eum in hisce cubiculis, vel in culina morantem accederet: simulque patet, confabulante Agnello vespertinis horis in procætone cum familia, & congerronibus suis, in culina Philippum versatum fuisse diutius, tam ut aquam educeret e puteo, quam ut phialas vini plenas in frigida reponeret, eaque faceret, quæ famulum decent; quas ob res plurima furandi Philippo dabatur occasio: denique fuga ejus, qua de diximus, liquet: quæ quidem omnia idoneorum testium assertionibus innituntur. Verum res fere omnes sibi subreptas partim per uxorem, sororemque Philippi, partim vero per Patrem Ja-

 cobum

cobum tractu temporis recuperavit Agnellus, quod ex ejus affertione colligitur, dictisque testium id ab Agnello audivisse afferentium. Et quoniam compertum quoque fuit, Philippum ob furta item domestica anno 1766. quinquennalis exilii pœna mulctatum fuisse; anno vero 1768. Regiis triremibus integro triennio fuisse damnatum: ideo M. C. V. Delegata pœna jure Patrio, Regia scilicet Pragmatica XI. *de empt. & vend.* §. 6. in eos statuta, qui alias furti fuere damnati, puniendum censuit Philippum Gemelli reum furti delatum: quapropter, me referente, ac auditis Dominis Regii Fisci, & Pauperum Advocatis, hujusmodi tulit decretum:

Rubricatus Philippus Gemelli remiget per annos decem.

Notarius Antonius Petrucci Scriba.

In revisione sententiæ latæ a Regia Audientia Salerni contra Joannem Carmeli Pepe, & Antonium Cerolla, principales inquisitos & carceratos, nempe dictum Joannem de præmeditato homicidio, ictu scoppittæ, noctis tempore commisso in personam Paschalis Salerni Terræ Montisfortis, armigeri Illustris Principis Castri S. Laurentii; Antonium Cerolla vero, de assistentia, & manu habita in homicidio prædicto, ut ex actis. Die 4. mensis Januarii 1775. Referente Dom. Jud. D. Josepho Secondo,

Ex Rei confessione, quæ coram Collegiato Tribunale ratihabita non est, ultimi supplicii pœna decerni nequit.

Cum nulla subsit criminis causa, atque socii criminis nominatio deficiat; proprium dictum ratihabitione destitutum, aliaque levissima indicia justam damnandi probationem non suppeditant.

INspectis actis, ac Dominis Fisci, & Pauperum Advocatis auditis. Quoniam sententia Regiæ Audientiæ contra Joannem Carmeli Pepe minime lædere Fiscum, neque Reum videbatur; nam licet Rubricatum ex proprio ore in Curia locali convictum Fiscus institerit; ejus tamen confessio in Regia Audientia nunquam ratificata perspicitur, ut gladii pœnam mereri potuisset; quapropter M. C., inspectis insuper non claris probationibus, a decreto ejusdem Regiæ Audientiæ discedere non putavit, ac proinde *trasmitti rubricatum in Regias triremes ejus vita durante*, juxta condemnationem decrevit: Antonium vero Cerolla, socium nominatum a rubricato Joanne, licet etiam in Curia locali confessus fuerit minas

occi-

occidendi per Rubricatum de Pepe prolatas, ac sermones paulo ante delictum cum eodem habitos: attamen deficiente in eo omni causa ad homicidium impellente, nominationem socii, & proprium dictum, pariter non ratificatum in Regia Audientia, aliaque levissima indicia testibus elicita, probationem sufficientem ad condemnandum non constituere, M. C. pronuntiavit, & ne in dubio innocens damnari videretur, recedendo a sententia Regiæ Audientiæ, *liberari in forma*, decrevit, *arg. LL. Hodie*, & *Respiciendum D. de pœnis*, *L. Sciant cuncti D. de probationibus*.

Michael Tufanus Scriba.

In causa, quam Regius Fiscus habet cum D. Andrea Carrotta, convicto de exhibitione cujusdam apochæ Banco SS. Jacobi, & Victoriæ directæ, pro exigendis ducatis 133., & assibus 33. in eodem Banco sistentibus in faciem, & creditum D. Joannis Baptistæ Portanova ab Arrendamento Regiæ Dohanæ perventis; & confesso de præsentatione apochæ prædictæ Officialibus Banci pro exigendis pecuniarum quantitatibus ibi sistentibus in creditum prædicti D. Joannis Baptistæ. Die 6. Februarii 1775.

Improbus conatus ad falsitatem, nullum sortitus effectum, extraordinaria pœna plectitur.

D. Andreas Carrotta apocham invenisse, ait, in Curia Notarii Josephi Antonii Venettozzi, penes quem, ut Notariorum praxim addisceret, astabat, quam cartulam in terram lapsam prope pedes Notarii Raphaelis Portanova filii D. Joannis Baptistæ in eadem Curia residentis cum vidisset, clam e terra suscepit, existimans esse epistolam amatoriam a quadam puella eidem missam; ac cum, ea explicata, animadvertisset, esse apocham Banco directam, statuit eam Officialibus Banci exhibere, pecuniarum quantitates ibidem sistentes exigere, & patri ipsius Raphaelis tradere, ut præmium aliquod ab ipso assequi posset. Hæc M.C.V. Deleg. perpensis probationibus, & rei confessione, ac inspecta originali apocha tam inconcinniter & inepte composita, ut nequaquam Officiales Banci decipi possent, aut illici ad

ad solvendam pecuniam exhibenti, utpote Periti electi pro illius recognitione apertissime retulerunt; censet crimen hoc sub rigore *L. Corn. de falsis*, & *Pragm.* 13. *eod. tit.* minime comprehensum, ac proinde ab ordinaria pœna resiliendum; Verumtamen materialem hanc falsitatem, & improbum conatum ad actum proximum jam deductum tamquam pessimi exempli extraordinaria pœna plectendum, ac proinde auditis Fisci Patrono, & magn. Rubricati Advocato, referente Domino Judice D. Joanne Thoma de Augustino, sequens interposuit decretum: *Rubricatus D. Andreas Carrotta, carceratus pro suprascripta causa ejus inquisitionis, ac convictus, & cum qualitate respective confessus, inserviat in Præsidio clauso, per Suam Regalem Majestatem declarando, per decennium: quo tempore expleto exfractet recto tramite a Regno, juxta statutum in §. 9. Pragm. 13. de fals.*

Paschalis Calamaro Act. Agnellus Rossi Scriba.

In revisione sententiæ latæ a Regia Audientia Salerni contra Paschalem Mazzano, Cosmum Giacumma, Nicolaum Serra, Vincentium Pazzariello, Dominicum Morone, Paulum de Marco, Pantoleum Corvillo, Custodem de Ajato, Paschalem Gatto, & Hieronymum Agresta, principales inquisitos, & carceratos de pluribus furtis, ut ex actis. Die 11. mensis Februarii 1775. Referente Dom. Jud. D. Josepho Secondo.

Ultimo supplicio non est locus, etsi confessi, convictique sint Rei, cum sub tortura confessionis ratihabitio desit; & non sint integræ famæ testes.

Indiciis inspectis, & qualitate testium, pœnam Judex arbitratur.

VIsis actis in duodeviginti voluminibus contentis, Dominis Fisci, & Pauperum Advocatis auditis; licet rubricati Paschalis Mazzano, Cosmus Giacumma, Nicolaus Serra, Vincentius Pazzariello, Dominicus Morone, & Paulus de Marco de incessu armato, facinora committendi causa, ac de furtis, etiam commissis in via publica, & in campanea, convicti, confessique videantur; tamen perpensis qualitate testium, confessionibus in tortura non ratificatis, aliis sociis quinque numero in actu eorum carcerationis a militibus Regiæ Audientiæ necatis, nec non fustigationis pœna in eorum damnatione ad-

adjuncta, quam jam passi sunt; M.C. discedere a sententia Regiæ Audientiæ minime judicavit, ac proinde *Rubricatos ipsos esse transmittendos in Regias triremes eorum vita durante*, juxta condemnationem, merito decrevit; Rubricatos vero Pantaleum Corvillo, & Custodem de Ajuro, quamquam de incessu per agros superioribus probationibus convictos esse Fiscus institerit; eadem M.C. ponderando, quod testes contra eos examinati plenam fidem non merentur, integritatis defectu, & unicum furtum, quo onerantur, non indiciis urgentibus, sed levissimis suspicionibus innixum esse videatur; moderando decretum Regiæ Audientiæ *transmittendos esse rubricatos in Regias triremes per annos quindecim*, tutius decrevit; & demum Paschalem Gatto; & Hieronymum Agresta, ex quo probationes de incessu minime sufficientes ad convincendum esse, & unicum pariter furtum, de quo reperiebantur rubricati, ullo potiore argumento suffultum sit, M.C. moderando etiam decretum Regiæ Audientiæ, *ad Regias triremes transmitti per quinquennium*, censuit, decrevitque. *Argum. in L. 3. de testib. in LL. Hodie, & Respiciendum D. de pœnis*, & signanter in Regali Rescripto de die 4. Aprilis 1750.

Michael Tufanus Scriba.

In revisione sententiæ, latæ a Reg. Audientia Aletii contra Silvestrum Sciglitano, principalem inquisitum, & carceratum de furto, & recepto in personam D. Prosperi Manes, & aliorum, ut ex actis. Die 18. mensis Februarii 1775. Referente Dom. Jud. D. Josepho Secondo.

Levia, & ambigua indicia contra eum, qui nullo umquam crimine delatus fuit, omnino rejiciuntur.

VIsis actis, Dominis Fisci, & Pauperum Advocatis auditis, quoniam sententia Regiæ Audientiæ lata contra rubricatum pro pœna triremium per annos quindecim, nec consona juri, nec rationi conveniens reputari possit, quia quatuor indicia, quibus reum onerari Regia Au-

Audientia credidit, ut arbitrium suum exerceri in judicando potuisset, minime inter indicia numerari, aut indiciorum nomen mereri videantur, utpote levia, ambigua, testibusque non idoneis etiam probata; M. C. V. Deleg. præ oculis habens Rubricati anteactam vitam, nunquam criminibus maculatam, dispositionem legis *Sciant cuncti C. de probationibus*, & juris axioma, non debere suspicionibus aliquem damnari; sententiam Regiæ Audientiæ moderando, ***a delato crimine Rubricatum Sylvestrum Stigliano absolvi***, censuit, ***ac proinde liberari in forma***, sanctius decrevit.

Michael Tufanus Scriba.

In causa Cosmi, Francisci, Joannis, & Rosarii Fuccillo, cum D. Antonino Carrano, ut ex actis. Die 21. mensis Februarii 1775.
Referente Dom. Jud. D. Paschale Perelli.

Inimicitiæ inter Querelantem, & Reum suspectam faciunt accusationem: cui adjuncta testium dubia fide, consequitur, ut condemnationi locus non sit.

REgia Provincialis Audientia Salernitana, accusante D. Antonino Carraro, inquisitionem peregit contra Cosmum, Franciscum, Joannem, & Rosarium Fuccillo, de violentia cum armis, & minis occidendi, semel atque iterum commissa, in impediendo fabricas in ædibus præfati D. Antonini; primo nimirum in anno 1756., secundo in anno 1767.; ac etiam de vastationibus, cum incisione arborum fructiferarum, & incendio domus, usui servandi paleas, quater commissis in quodam territorio antedicti Carrano, bis nempe in anno 1758., tertio in anno 1761., & quarto in anno 1762.; & tandem de comminutione quinque frumentarearum molarum noctis tempore in molendinis ejusdem D. Antonini, & de blasphemiis tantummodo contra Cosmum. Actis in gradu gravaminis transmissis ad hanc M. C., & impartito termino defensionum, ac confecta monitione super expeditione causæ, fuit ponderatum, non constare de jure querelantis in deductas fabricas perficiendo;

do; & respectu vastationum, & fracturæ molarum, tametsi accusationem is proposuerit statim post illarum patrationem, nihilominus prosecutus eam fuit lapsis jam plurimis annis; ac proinde accusationem ipsam obnoxiam esse vitio suspicionis, uti secutam post contractam inimicitiam inter querelantem, & reos ex impedimento fabricarum in anno 1767. Præterquam quod inverisimilia videntur dicta testium fiscalium, testimonia ferentium super indiciis enunciatarum vastationum, & fractura molarum, præsertim super voce & fama illico orta, prædictos de Fuccillo citata facinora patravisse; imo adversantur depositionibus querelantis, cum ipsemet minime illos expresserit in accusationibus, quas contra incertos in Curia locali instituit: quare justa oritur de fiscalium testium fide dubitatio, *L. 2. & 3. ff. de testibus*; ac fluctuant indicia, quæ contra rubricatos de Fuccillo acta fiscalia subministrant, itaut nequaquam suppeditent probationes necessarias ad condemnationem, *L. 4. C. de eden.* Eapropter Dom. Fisci Patrono, & Advocatis tam querelantis, quam reorum in Aula plenius auditis, M.C. decrevit: *Cosmus, Joannes, Franciscus, & Rosarius Fuccillo liberentur in forma. Verum idem Cosmus Fuccillo, admissus ad Regalem Indulgentiam diei 18. Julii 1772. pro delicto blasphemiæ, caveat servata forma ipsius, de non offendendo querelantem, & testes fiscales.*

Memmi Scriba.

In revisione sententiæ, latæ a Regia Audientia Catanzarii contra Antonium Cefalà, & Franciscum Lico, principales inquisitos, & carceratos de assistentia in gravi vulnere, ictu cultri ferrei, noctis tempore commisso in personam Xaverii de Vita, & exinde ejus morte sequuta. Die 4. mensis Martii 1775. Referente Dom. Jud. D. Josepho Secondo.

ACtis inspectis, ac Dom. Fisci, & Pauperum Patronis auditis. Quoniam lex, rationi consona, Judicibus jubet, ut non prius in quempiam promant sententiam, quam

Cum nulla subsit criminis causa, neque confessus, neque indiciis con-

victus sit reus, ex levi suspicione damnandus non est.

quam in crimine, aut sua confessione, aut certe omnium, qui tormentis, vel interrogationibus fuerint dediti, in unum conspirante, concordanteque rei finem, convictus sit; & sic in objecto flagitio deprehensus, ut vix etiam ipse ea, quæ commiserit, negare sufficiat; M. C. contra rubricatos neque confessos, neque indiciis convictos, nullaque causa impulsos, ut crimen perpatrare potuisse viderentur, sed tantum de assistentia minime cooperativa, in crimine delatos, super levibus suspicionibus, testibus elicitis, quod rei facinus cum possent, non impedivcrint; licet ex actis etiam non obscure colligatur, unum ex reis a facinore homicidam precibus distulisse; sententiam Regiæ Audientiæ, ex mero arbitrio prolatam, executioni demandari non existimavit. Ideo ne contra *L. qui sententiam C. de pœnis*, neque contra ultimam jussionem S. M., sanctissime pronuntiatam, arbitrari indicia præsumatur, ***non liquere de crimine***, dixit, ***ac proinde rubricatos Antonium Cefalà, & Franciscum Lico obstrictos vadibus mitti***, censuit, atque decrevit.

Michael Tufanus Scriba.

In causa Pauli Improta, principalis inquisiti, & carcere detenti, ob furtum quarundam rerum, valoris ducatorum plus minus octo, noctis tempore ab eo commissum in stabulo, & in damnum Joachimi Improta, ut ex actis. Die 11. Martii 1775.

Referente Dom. Reg. Cons. D. Cæsare Ruggiero Aulæ Præfecto.

Furti convictus, furtique alias damnatus, certa pœna ponitur.

JOachimus Improta pridie nonis Novembris anni nuper elapsi, suspicatus fuit, Paulum Improta propinquum suum sibi furtum quarundam rerum fecisse. Hunc credidit venisse Neapolim, quapropter Paulum reperturus rure Neapolim se conferre constituit, quo quum pervenisset, una cum Joanne Laldo leviro suo, in suburbio Divi Antonii Abbatis Paulum obiter invenerunt, quem simul atque vident, protinus accedunt, manusque

in

eum injiciunt, resque subreptas ab eo expetunt: interea temporis Miles, qui excubabat ante januam Regii Pauperum Hospitii, vidit eos inter se de furto acerrime litigantes, ipsosque ftitit, certioremque de captura hominum fecit militem alium, qui sibi præerat, vulgo *Caporale*: hic autem miles, accitis Joachimo, & Johanne, id unum eos interrogavit, quid nempe negotii ipsis esset cum homine illo, quem paullo ante manibus apprehenderunt? Interroganti Joachimus respondit, subripuisse Paulum sibi ligonem, ahenumque suum, nonnulla indusia, tibialia quædam, & id genus alia: utque res sibi subreptas restitueret Paulus, se leviruinque suum manus in eum injecisse: quibus auditis, omnia miles nunciavit excubiarum Præfecto, vulgo *Sergente*, qui quum interrogasset de furto Paulum, hic furtum se præterita nocte in Joachimi stabulo commisisse respondit ingenue, milite vulgo *Caporale*, Joanne Laldo, & Joachimo præsentibus, addiditque, res furtivas Vincentio Albano, in proximis ganeis habitanti, paulo ante vendidisse: hæc ubi audivit excubiarum Præfectus, custodiæ tradidit Paulum, qui sponte furtum jam fassus erat, jussitque militem vulgo *Caporale*, Joachimum, & Joannem ire domum Vincentii, quam indicaverat Paulus. Ingrediuntur itaque hi hortum Vincentii, domui contiguum, eoque in medio cumulum terræ non satis grandem conspiciunt, arreptoque ligone, quem ibi forte fortuna invenerunt, terræ cumulum destruunt, furtumque terra celatum inveniunt, ut ex instructo processu aperte liquet, licet omnia, quæ superius memorata sunt, in judicio negaverit Paulus. Adsunt testes, res illas in bonis Joachimi fuisse asserentes, ipsumque in stabulo res suas non invenisse; Joachimum esse hominem probum, & a mendacio alienum. Sunt & qui testantur, Paulum Improta furtis committendis assuetum fuisse. Liquet denique, eundem Paulum anno 1767. furti cau-

 sa

sa fuisse damnatum. Quæ quum ita sint M.C.V. Delegata pœna a Regia *Pragm.* 11. *de empt. & vend. §. 6.* in eos statuta, qui alias furti fuere damnati, puniendum censuit Paulum Improta reum furti delatum: quamobrem me referente, & auditis Regio Fisco, Pauperum Advocato, & Rei, istiusmodi tulit decretum.

Rubricatus Paulus Improta remiget per decennium.

In causa discussionis nullitatum, propositarum pro parte Paschalis Colella principalis inquisiti, & carcere detenti, primo ob furtum ducatorum 300. ab eo commissum in damnum D. Josephi de Porcellinis, præcedentibus falsis mandato Procurationis, & copia instrumenti ratihabitionis alterius instrumenti in damnum D. Francisci Trenca; secundo ob furtum ducatorum 50. & assium 75. ab eo cum falsitate factum in Banco Sanctæ Mariæ de Populo hujus Civitatis, in damnum ejusdem D. Josephi de Porcellinis; tertio ob aliud furtum ducatorum 17., & assium 61. ab eo similiter cum falsitate patratum in Banco S. Eligii in damnum D. Josephi Trenca; postremo ob falsitatem pariter ab eo commissam, ut conjicitur, in Fide Crediti Banci Spiritus Sancti ducatorum 10, mediante rasura dictæ summæ, & falsa girata, ac subscriptione D. Fabritii Fusco, furandi causa eidem D. Fabritio ducatos 794. in dicto Banco existentes in faciem, & creditum illius, ut ex actis, &c. & ob alias falsitates. Die 11. Martii 1775.

Referente Dom. Reg. Cons. D. Cæsare Ruggiero Aulæ Præfecto.

Evidentissimis argumentis, & testimoniis convictus ordinaria pœna plectitur, quæ tamen, ob diutinum carcerem, lenitur.

M. C. V. Delegata XIII. Kal. Januarii anni nuper elapsi perpetuis damnavit triremibus Paschalem Colella, reum furtorum, falsitatumque delatum, ob rationes, ac leges in decreto, id temporis typis edito, enucleatas. At rei Patronus, hujusce modi lato condemnationis decreto remedium opposuit nullitatum. Asserit itaque, reum non nisi ob suspiciones perpetuæ triremium pœnæ fuisse damnatum; propterea que decretum illud nullius roboris, ac momenti esse, utpote quod *L. 5. D. de pœnis, & L. ult. Cod. de probat.* adversatur, prima, & secunda nullitate contendit ostendere: Imperator enim Trajanus, teste Ulpiano in *L. 5. D. de pœnis*, neminem de suspicionibus damnari debere, Aufidio Severo rescripsit: & Imperatores Gratianus, Valentinianus,

nus, & Theodosius *L. ult. Cod. de probat.* jusserunt, ut quæ reis crimina objiciuntur, idoneis testibus, vel apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus demonstrentur. Ad hæc addit, orbatum fuisse Paschalem beneficio revisionis *Peritiæ* ab Act. Magistro factæ ad falsitates, quæ illi attribuuntur, dignoscendas. Præterea rei Patronus, clientem pœna triremium, illum infamia, honestamque familiam ejus notante, puniri neutiquam debuisse, postrema probare nullitate conatur; quapropter nonnullas leges, cum communes, tum patrias, obstare decreto condemnationis affirmat: concludit itaque, illud nullum pondus, vim nullam habere.

Verum quod ad primam, & secundam attinet nullitatem, in decreto typis edito, quo rerum seriem fusiori calamo exposuimus, dicimus, aliquibus colligi indiciis, Paschalem Colella tria tantum crimina perpetrasse; eundem vero Paschalem tam evidentissimis argumentis, quamplurium testium, & quidem idoneorum, assertionibus fuisse convictum, furtum ducatorum tercentum D. Josepho de Porcellinis fecisse, falsitate procurationis mandati, ac exempli instrumenti ratihabitionis instrumenti alterius, de quo affatim in decreto dictum, in damnum D. Francisci Trenca intercedente, ut ex Processu rite instructo aperte liquet: quumque Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius *in L. 5. Cod. de custod. reor.* sanciverint, ut convictos, quos tenet carcer inclusos, pœna subduceret; & Imperator Constantinus *in L. 16. Cod. de pœnis* rescripserit Catuliano Proconsuli Africæ, in eum, qui convictus est, ferendam esse sententiam; propterea M. C. V. Delegata, perpensa *L. Si diutino 25. Dig. de pœnis*, Paschalem Colella (reum cæteroqui capite plectendum, *Pragm. V. VII. IX. & X. tit. de falsis*, ac Regni Constitutione lata ab Augustissimo Hispaniarum Rege anno 1751.)

1751.) duodecim ab hinc annis agentem in carcere, perpetua censuit triremium pœna damnandum. Ut autem id, quod additur, diluamus; sibi imputet reus, quominus beneficio revisionis *Peritiæ* fuerit destitutus; ipse siquidem Paschalis, advocato sibi juvene a manu Scribæ causæ anno 1773., datoque ei ad bibendum vino, ut penitus inebriaretur, suarum inquisitionum ab eo impetravit Processum, a quo subtraxit Epistolam; quam sua manu ad Materteram scripserat, aliamque alterius manu scriptam in subtractæ locum subrogavit: præterea *Peritiam*, qua de diximus, tam atramento injecto, quam quibusdam literis tum additis, tum immutatis vitiavit, adeo ut peritorum judicium in contrarium detorserit sensum. Ejus igitur dolo, ut ex peculiari inquisitione ob has novissimas falsitates acta conjicitur, accidit, ut examinari *Peritia* non potuerit: de quibus tamen criminibus nulla fuit facta mentio in condemnationis decreto; graviora enim referre, & certiora censuimus.

Quod vero ad postremam nullitatem pertinet; nemo est, qui nesciat, ut compendio utar, ab Augustissimo Hispaniarum Rege anno 1750, & 1751. statutum fuisse, reos criminum, quibus infamia irrogatur, Privilegio Nobilibus dato gaudere minime posse. Hoc autem loco, quoniam ita res fert, prætermittendum non est, a Paschali Colella nunquam edita fuisse documenta, quibus honesta se familia natum probaret. Quæ quum ita sint, perspicua res est, decretum a M. C. latum allatis nullitatibus ad præcepta legum tam communium, quam hujus Regni perpensis non antiquari: quapropter censuit M. C. pœnam jam reo decretam non esse mutandam. Et quoniam S. R. M. M.C. mandavit, ut ad eam hac de causa referret; propterea eadem M C.V. Delegata me referente, ac Fisco, & Advocato Rubricati auditis, hujusmodi tulit decretum: *Nullitates non obstare, & cum effectu fiat ordinata relatio S. M.*

Liberius Pizza Scriba.

In causa Regii Fisci cum Catharina Solofrano Civitatis Altamuræ inquisita, & carcerata, ut ex actis. Die 19 Aprilis 1775.
Referente Dom. Judice D. Paschale Peretti.

Causa, & corpore delicti deficiente, nullus est condemnationi locus.

ANno 1766. mense Septembri Catharina Solofrano Civitatis Altamuræ nuptui tradita Joanni Jacobo Ignandino, post lapsum septem mensium, nocte scilicet diei 28. Aprilis sequentis anni 1767. enixa fuit infantulum mortuum. Illius diei mane accessere ad ejus domum nedum soror, & ipsius mater, verum etiam Francisca Ignandino soror præfati Joannis Jacobi, ante quas professa fuit, se anteacta nocte abortum passam; at soror ejus viri illi imputavit, infantulum editum non esse filium fratris, sed alterius ejus præteriti amatoris: cui imputationi responsum dedit Catharina, ut deoscula
retur infantulum exanimem, uti ejus nepotem, & noviter convicio affecta a Francisca, obmutuit. Traditus post paucas horas infantulus Josepho de Ruvo, qui munus humandi mortuos in Civitate Altamuræ gerebat, illum curavit sepeliendum in loco, in quo infantuli mortui sine Baptismate humari assolet, extra Pomerium dictæ Civitatis. Orta dein fama, infantulum vivum in lucem editum, inde scelere a matre interemptum; die 30. ejusdem mensis Aprilis a Gubernatore jubetur antedicto Josepho de Ruvo, ut illum ad Salam Curiæ asportaret; asportatum ordine Gubernatoris recognoscunt quatuor periti. Hi fatentur infantulum sanum, vivum, ac integrum natum; in gutture duas excoriationes, atque ad utrumque latus œsophagi binas lividuras, quibus sectis, invenisse grumum sanguinis, & tantummodo illam partem corruptam fœtore manantem; adeoque judicium protulere, infantulum fuisse suffocatum compressione tracheæ, quæ illi respirationem impedivit, atque retardavit. Ordinata igitur inquisitione, illa-

illaque confecta, delata Catharina vinculis mancipatur; & compilato judicio, per Regiam Curiam localem fuit judicatum, illam detinendam in domo poenitentiæ per annos viginti. Remissa causa, & hujusmodi condemnatione examini hujus M. C., illud inspectum est, peritos adhibitos in probatione corporis delicti non parum aberravisse, ac proinde eorum judicium erroneum esse existimandum; non enim rationibus fultum reddunt judicium, infantulum vivum editum, sicuti facere debebant, ut par erat. Lividuras, & excoriationes in gutture repertas existimandas esse signa corruptionis cadaveris, non autem effectas a contusionibus, ex eo quia hujusmodi partes magis obnoxiæ sunt actioni aeris. Præterquamquod confusionem inferunt inter œsophagum, & tracheam, cuniculos tam necessarios vitæ humanæ, unum usui absorbendi cibos, alterum respirandi aerem; & in hac parte corruptio cadaveris infantuli erat clarior, & grumus sanguinis, & putrefactio in illa parte exposita eidem aeris actioni, indicant manifeste infantulum potius mortuum in matris utero, quam extra, & scelere. Accedit, quod mulieres, quæ mane diei 28. Aprilis 1767. accurrerunt ad domum Catharinæ, & invenerunt infantulum mortuum, minime asserunt inspexisse in illo signa excoriationum, & lividurarum; argumentum evidens, quod corruptio evenit ex tractu temporis, & prædictis ex causis. Posthabuerunt ulterius periti facere sectionem pectoris, & introspicere pulmones, nam si infantulus defecisset ex compressione tracheæ, pulmones scissos reperiri necesse erat ex celeri retrocessione aeris in illos effecta ex dicta compressione.

Labente igitur, & vacillante corpore delicti, locus non solum non est pœnæ, sed nec etiam inquisitioni, *L.1. §. item illum ff. ad Syllan.* Cogitavit præterea M. C. desiderari probationem identitatis, infantulum nempe extra-

extractum a loco, in quo fuit sepultus, fuisse eundem enixum a Catharina. Inquisitor enim probare debebat, in loco sepulcri nullos alios infantulos adfuisse, præter illum, ut supra editum a Catharina, & consignatum humandum Josepho Ruvo. Deficit etiam causa delicti, quæ nequaquam putanda est in Catharina, ut in matre jam nupta; eo vel magis, quod vir, cujus summopere intererat, questus non fuit, immo petiit sibi uxorem restitui, & consignari. His itaque positis, censendum est, Catharinam potius insontem, quam sontem esse, & uti talem absolvendam, *L. 4. Cod. de edendo.* Quapropter visis omnibus actis, ac Domino Advocato Pauperum, & Domino Judice D. Josepho Secondo in hac causa vices Regii Fisci gerente, ac Advocato viri in Aula auditis, M.C.V. decrevit: *Supradicta Catharina inquisita & carcerata, excarceretur, & consignetur ejus viro, cum obligatione de illam non offendendo, sub pœnis ad arbitrium M. C.: verum pro observantia Regalis Diplomatis diei 19. Martii 1768. fiat relatio S. M.*

Michael Tufanus Scriba.

In revisione sententiæ, latæ a Regia Audientia Tranensi contra Rugerium, Joachim, & Girium Balzano, & Andream Pezza principales inquisitos, & carceratos de periculosis vulnere, fractura, & contusionibus ictibus instrumentorum contundentium, causa furti, & cum furto rerum mobilium, valoris in unum ducatorum 17., & assium 32. cum dimidio circiter, noctis tempore in via publica in comitiva, & armata manu respective commissis in personam D. Petri Dragone, ut ex actis. Die 19. Aprilis 1775. Referente Dom. Jud. D. Josepho Secondo.

Visis actis, Dominis Fisci, & Pauperum Advocatis auditis: Quoniam sententia Regiæ Audientiæ contra rubricatos nec legibus subnixa, nec probationibus suffulta videtur, nam licet de crimine in genere liquet; contra delatos tamen in specie, indicia, vel argumenta indubi-

Ex iis, quæ suspicandi tantum causam ministrant, nemo potest damnari, licet delictum in genere constet.

dubitata omnino deficere, perſpicitur; Quapropter ne ſuſpicionibus damnari aliquos contra leges videretur; M. C. a ſententia ejuſdem Regiæ Audientiæ diſcedere exiſtimavit, ac proinde rubricatos obſtrictos vadibus mitti cenſuit atque decrevit.

Michael Tuſanus Scriba.

In cauſa Regii Fiſci cum rubricatis Vitale Pandolfo, Joſeph Motta, & Vito Nicolao de Pietro, delatis de præmeditatis letalibus maletractamentis, noctis tempore in perſonam Paſchalis de Luca Terræ Gallicchi commiſſis, & exinde ejus morte ſecuta, ad anonymam denunciationem, & querelam viduæ Roſæ Geſualdæ, cum electione Fori Regiæ Audientiæ Provincialis; Necnon, in cauſa pariter Regii Fiſci cum rubricato Franciſco Antonio d' Agoſtino Terræ S. Archangeli Agentis mag. Baronis dictæ Terræ Gallicchi, delati de ordine, ac mandato in ſupradictis. Die 16. menſis Maji 1775.

Referente Dom. Jud. D. Michaelangelo Freda.

Cum &, corpus delicti deſit, & cauſa; cumque inveriſimiles ſint teſtium depoſitiones, & falſitatis vitio acta laborent, non ſolum reus abſolvendus eſt, ſed & de calumnia actio ei competit.

VIſis actis in quatuor voluminibus contentis, & Dominis Fiſci, ac Pauperum, nec non rubricati Franciſci Antonii de Agoſtino Advocatis auditis, licet rubricati omnes fuerint delati de letalibus præmeditatiſque malis tractamentis in perſonam Paſchalis de Luca, & inde ipſius morte ſecuta; ex actis tamen prædictis plene colligitur, non ſolum omnimode delicti corpus deficere, verum etiam probationes in genere ſcelus excludere utcumque ſuppoſitum; nam Phyſici ad herniam curandam illico accerſiti nudato patientis corpore contuſionum ſigna vel maculas ex cauſa extrinſeca non invenere, immo ex ore ejuſdem patientis, ejuſque uxoris inſtantia, nec pede lapſum, nec ab aliquo verberatum fuiſſe inſtructi extitere, herniam inteſtinalem ex intrinſeca cauſa improviſo collapſam cauſam præbuiſſe dolorum, letalia ſymptomata, ac imminentis mortis argumenta, ita ut tertium poſt diem deceſſerit. Inſpecta igitur a M. C. delicti corporis totali deficientia; perpenſiſque probationibus poſt trigintaſex dies ſuper anonymo libello, per Curiam loci adquiſitis, & poſt tres menſes per Scribam

bam Regiæ Audientiæ Provincialis contra *L.* 1. *ff. ad Sen.Conf. Syllan.*, testium depositionibus inter se discrepantibus, atque incredibilia quasi continentibus, nec non causa minime excessui correspondente; acta omnia falsitate calumniaque scatere existimavit, ac proinde ne innocentes amplius persequi fineret, prædictos rubricatos Pandolfo, Motta, de Pierro, & d'Agostino custodia liberari censuit, salvis eisdem juribus pro calumnia decrevit.

Alexander Garoffino Scriba.

In causa D. Caroli Boffoluto Civitatis Tarenti, principalis inquisiti, & sponte carcerati de homicidio commisso cum ense in personam D. Agnelli Cristino, Signiferi Regalium tormentorum Bellicorum Regii Castri dictæ Civitatis, ut ex actis. Die 3. Junii 1735.
Referente Dom. Jud. D. Joanne Thoma de Augustino.

Visis actis, ac Dom. Fisci Patrono, & rubricati D. Caroli Advocato auditis: cum ex ipsis actis fiscalibus apertissime constet rubricatum D. Carolum Boffoluto atrocibus injuriis verbalibus, ac replicatis ictibus baculi, absque ulla legitima causa fuisse a qu. D. Agnello Cristino provocatum, ut denudato ense ad singulare certamen deveniret, prout devenit, & in conflictu paribus armis habito, provocatorem ictu ensis vulnerasse, itaut post modicum temporis spatium decesserit; M. C. V., licet tale homicidium, justo dolore, ac impetu patratum noscat, attamen ob aliquem modicum excessum in facto perpensum, censet eundem rubricatum aliqua miti pœna esse coercendum, *L.* 1. *§. Divi Hadr. ff. de pœnis*, *& L.* 1. *& 5. Cod. eod.*, ac proinde providet & decernit, quod *rubricatus D. Carolus Boffoluto sponte intus carceres constitutus pro suprascripta causa suæ inquisitionis exulet a Civitate Tarenti, ejusque districtu per sex menses, & se obliget in forma de servandis finibus exilii prædicti.*

Licet homicidium justo dolore, & impetu patratum videatur; est tamen reus aliqua miti pœna coercendus, cum aliquis excessus in facto perpendatur.

Alessandro Ab. Mag. Gogliardi Scriba.

In revisione sententiæ, latæ a Regia Provinciali Audientia Tranensi contra Vincentium Angiola, damnatum sub die 3. mensis Novembris 1757. ad moriendum in furcis, uti principalem inquisitum, & carceratum de appensato, atque proditorio homicidio ictibus securis, causa furti, & cum furto ducatorum 5. & carolenorum 4., ac etiam unius pilei valoris carolenorum 13. circiter, noctis tempore commisso in personam Januarii Petrella, cum occultatione cadaveris prævia raptatione, ut ex actis. Die 30. Junii 1775.
Referente Dom. Jud. D. Josepho Secondo.

Mitiori pœna coercendus est qui diutius vinculis obstrictus fuit.

VIsis actis, Dominis Fisci, & rei Advocatis auditis; licet homicidium proposito commissum causa furti, & cum furto ducatorum quinque in personam Januarii Petrella a Vincentio Angiola rubricato convicto, & confesso, ultimi supplicii pœnam, qua Regia Audientia Tranensis plecti cum existimavit, meruisse videretur; M. C. tamen perpensa diutina custodia annorum circiter decem & octo, quam Reus passus est, post monitionem ad sententiam in gradu provocationis expeditam, & absque rei culpa, causa non decreta, laquei pœnam exequi non posse censuit; dummodo contra legem *Si diutino tempore*, & leges omnes *Dig. & Cod. de pœnis* judicare non permittatur; quibus sancitum est, non posse, qui diutino tempore in reatu fuerint, sic damnari, ut de saxo præcipitentur. Proinde diuturnæ custodiæ macerationem, squalorem, animi cruciatum in partem pœnæ cedere M. C. judicavit, ac mortem naturalem bene in civilem commutandam, reum in Regias Triremes ejus vita durante transmittendum duxit, atque decrevit.

Michael Tufanus Scriba.

In

In causa D. Augustini Siniscalchi, principalis inquisiti, & carcere Regiæ Audientiæ Salernitanæ detenti, ob homicidium ab eo commissum ictu cultri ferrei, vulgo pasportù, in personam D. Cajetani Anzalone, ut ex actis, ab eadem Regia Audientia ad M.C.V. transmissis in gradu appellationis. Die 1. Julii 1775.

Referente Dom. Reg. Cons. D. Cæsare Ruggiero Aulæ Præfecto.

Cum Reus se cædis periculo objectat, ac legitimæ defensionis modū excedit, homicidium cum moderamine inculpatæ tutelæ commissum non videtur.

ORta fuit Lancusiis rixa ob primum vini haustum IX. Kal. Novembris anni 1771. inter D. Cajetanum Anzalone, & D. Augustinum Siniscalchi, aliosque jactu digitorum ludentes, vulgo *Giocatori del Tocco*: prima enim lusione, qua D. Augustinus Siniscalchi fuit electus vini magister a Josepho Salvati, ad quem, lege lusoria, hujusmodi spectabat electio, D. Cajetanus Anzalone bibendi primatum obtinuit, quem mox recusavit: altera vero lusione Johannes Siniscalchi designavit vini magistrum D. Cajetanum, jussitque, ut primus biberet D. Augustinus: affertur interim urceus vini plenus, primæ sponsio lusionis: & quia D. Cajetanus primo bibere jam recusaverat, sumit urceum in manus D. Augustinus ut bibat, sed illum aufert D. Cajetanus, & præbibit: quumque collusores, uno tantum excepto, datatim bibissent; Josephus Salvati proposuit, bibendi ordinem secunda computatione mutandum esse, ut D. Augustinus esset vini magister pro D. Cajetano, qui prima compotatione primo biberat loco. Hæc ubi audivit D. Cajetanus Anzalone, contendit acriter, velle se iterum primo bibere, simulque non levibus provocavit injuriis, & quidem immerito, D. Augustinum Siniscalchi. A verbis ventum fuit ad facta: etenim D. Augustinus lacessitus injuriis respondit D. Cajetano, ab illo loco utrisque esse abeundum: discedunt igitur una: at vix ingressi fuerunt viam quandam, dum D. Augustinus aliam, qua irent, viam, quam fortasse magis opportunam offensionibus credebat, D. Cajetano indicavit:

vit: a priore ergo via in novam divertunt: tum D. Cajetanus tenet sinistra manu adversarium, dextera vero stilum enudat, quo solebat armatus incedere, stilique manubrio bis, terque humerum, lævumque percutit brachium D. Augustino, ac leviter ferit; indicans hoc pacto animum habere a cæde alienum. Interea it obviam rixantibus Sabathus Galiano; ac magnopere hortatur D. Cajetanum ad pacem: hic autem, sublata dextera stilo armata, relictoque D. Augustino (qui poterat quidem tunc temporis, si voluisset suæ vitæ consulere, a rixæ loco discedere) minatur Sabatho mortem, nisi eo rediisset, unde discesserat: quod ubi audivit Sabathus, timens ne quid sibi accideret mali, statim ab illo recessit loco. D. Cajetanus interim monet adversarium, qui dexteram femuralium perulæ admoverat, ne cultrum evaginet, simulque stilum admovet jugulo ejus: D. Augustinus e contra ad incitas jam redactus eodem temporis, locique momento transfigit, evaginato cultro, quem secum ferre consueverat, D. Cajetanum per latus lævum, qui quatuor ab accepto vulnere diebus elapsis interiit. Atque hæc rerum series collecta ex plurium assertionibus testium, rixam vidisse asserentium. Infelix itaque pater D. Cajetani accusavit apud Regiam Audientiam Salernitanam de homicidio D. Augustinum, quo detruso tandem in carcerem, eadem Regia Audientia V. Idus Augusti anni nuper elapsi 1774. hujuscemodi tulit decretum -- *Rubricatus D. Augustinus Siniscalchi pro ejus inquisitione detineatur in Præsidio clauso destinando per S. R. M. per annos quinque continuos, quo tempore expleto, exfractet a Regno, servata forma Regiæ Pragmaticæ.* Ab Regia Audientia Provinciali provocavit reus ad M.C.V. *infra legitima*, ut ajunt, *tempora*. M. C. V. itaque, facti serie exquisite, ut par erat, pensata, perpendit, a reo monitum fuisse D. Cajetanum, ut a ludi loco rece-

cederet: ab ipso indictum fuisse D. Cajetano locum, offensionibus fortasse magis idoneum, quo una congrederentur: ipsum noluisse, dum poterat, a loco rixæ discedere: ipsum denique reum sese cædis periculo objectasse, ac legitimæ modum defensionis excessisse: propterea que animadvertit, homicidium, quo de dictum, minime quidem ab eo fuisse commissum cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quæ quum ita sint; eadem M. C. V. decretum a Regia Audientia latum censuit confirmandum argumento *L. Si adulterium §. Imperatores Dig. ad L. Jul. de adult.*, & argumento *L. 5. Dig. ad L. Pompejam de parricidiis*: quapropter, me referente, ac Regii Fisci Advocato, & Advocatis querelantis, & Rei auditis, decretum tulit hujusmodi:

Male fuisse appellatum, & bene judicatum; ac proinde rescribatur Regiæ Audientiæ Salerni, quod suum exequatur decretum diei 8. Augusti 1774.

Paschalis Calamari Act. Mag. Joannes Manna Scriba.

In revisione sententiæ, latæ a Regia Provinciali Audientia Lycii contra Cajetanum Blanco, Josephum Talesco, Josephum Orontium de Laurentiis, Josephum Moliner, & Damianum Sansonetti, damnatos sub die 1. Junii 1774, scilicet Cajetanum Blanco ad remigandum per annos quindecim, Joseph Talesco per annos decem, & Joseph Orontium de Laurentiis, & Damianum Sansonetti per annos quinque, & Joseph Moliner ad inserviendum in Præsidio clauso per annos septem, uti principales inquisitos, & carcere detentos de furto diversarum rerum, etiam argentearum valoris in unum ducatorum 138. & assium 27. circiter in diversis vicibus & temporibus, etiam cum clavibus adulterinis commisso in Ecclesia, & Ven. Conventu PP. Minorum Observantium Reformatorum, & aliis, ut ex actis. Die 23 Junii 1775.

Referente Dom. Judice D. Paschale Perelli.

IN Civitate Lycii mense Decembris anni 1773. clavibus adulterinis patrato furto rerum mobilium, comestibiliumque in ædibus Locumtenentis Capitanei cohortium Regiæ Hydruntinæ Audientiæ, statim vinculis fuit mancipatus Damianus Sansonetti, qui in prætorio dictæ Hydruntinæ Audientiæ fuit professus, se furto interfuisse uti

Cum indiciis tantummodo reus prematur, Judex arbitretur, oportet.

uti exploratorem; nominavitque furti socios Cajetanum Blanco, Josephum Talesco, Josephum Moliner. Is etiam patefecit alia furta patrata fuisse nedum a nominatis sociis, verum etiam a Josepho Orontio de Laurentiis, & Dominico Zecca, unum nempe anno 1773. in Ecclesia Monasterii RR. PP. Observantium S. Francisci nuncupati *il Tempio*, siti extra portam Civitatis Lycii dictam *del Castello*, alterum in Monasterio PP. Conventualium, & tertium in damnum Rev. Parochi Lyciensis D. Francisci Torrise rerum argentearum, & aurearum, ac etiam margaritarum. Vinculis pariter conjecti Cajetanus Blanco, Joseph Talesco, Joseph Moliner, & Joseph Orontius de Laurentiis, fuit contra eosdem a Regia Audientia ordinata inquisitio, qua redacta in actis fiscalibus, fuerunt reperti culpabiles antedicti Blanco, Talesco, Moliner, Sansonetti, de Laurentiis, & Zecca de furto anuli cum margaritis, de furto duorum argenteorum sertorum in Ecclesia Monasterii *del Tempio*, de furto ducatorum sex, & magnæ quantitatis tabacci in cella Patris Bonaventuræ d'Otranto, prævia aperitione ostii clavibus adulterinis, mensibus Aprilis, Maji, & Junii anni 1772.; de furto alterius argentei serti, pretii ducatorum 15. in Ecclesia *del Tempio* commisso, de furto in culina ejusdem Monasterii *del Tempio*, plurimarum supellectilium, pretii ducatorum 11., & de alio furto in damnum D. Paschalis Massaro in eodem Monasterio degentis diversarum rerum, valoris ducatorum 19. cum fractura ostii, commisso anno 1773.: quibus de furtis indicia contra eos oriuntur ex depositionibus Sacerdotis D. Thomæ Giglio, & Religiosi Fr. Josephi de Torino, testantium super judicio furtorum, ex eo quod antedictus Cajetanus plures per annos ære gravatus alieno, ne carceribus traderetur, moram fecit in Monasterio *del Tempio*, ad quod persæpe Joseph Talesco, Damianus Sansonetti, Joseph Moliner, & Joseph Orontius de Lauren-

ren-

rentiis ventitabant, illum visuri, & post confugium illuc unitim proficiscebantur; ex unione inter ipsos, & secretis allocutionibus, quas peragebant in apotheca Josephi Talesco, & ex publica voce & fama. Dictus Cajetanus Blanco fuit repertus culpabilis furti unciarum quatuordecim serici rubri coloris, pretii ducatorum quinque, & carolenorum sex, in damnum Francisci Romito, ex uno teste de visu, & ex alio teste, cui ipse de Blanco tradidit venum sericum, quod postea per errorem fuit venditum eidem, qui furtum erat passus.

De alio furto librorum, aliarumque rerum pretii ducatorum decem & septem in damnum D. Dominici Antonii, & D. Aloysii di Michele, cum clavibus adulterinis, & pro hoc, præter depositionem Sacerdotis D. Philippi Centonze, qui testatus fuit sibi fuisse traditas res furtivas ab Josepho Moliner, Cajetano Blanco, & Josepho Orontio de Laurentiis, ut illas venderet, iidem etiam premuntur eorum confessione de traditione dictarum rerum Sacerdoti Centonze, ut illas venum præberet, affirmando nihilominus illas invenisse eo tempore, quo vagabantur operam daturi, ut thesauros investigarent, una cum ipsomet Sacerdote Centonze. Quam qualitatem minorantem neutiquam in cursu defensionum probationibus claram reddidere.

Fuerunt ulterius reperti culpabiles de furto margaritarum, aliarumque rerum argentearum, & aurearum usque ad summam ducatorum 109. similiter cum clavibus adulterinis in damnum Parochi Torrise Lyciensis. Pro hoc furto magis indiciis urgetur Joseph Talesco. Hic enim ut barbitonsor Parochi Torrise frequens erat adire ejus domum, & ante discessum Parochi mense Augusti 1773. causa rusticandi, ut illi moris erat singulis annis, fuerunt eidem Josepho traditæ claves ostii domus, & primæ cameræ, ut illas curaret reficiendas, ipsas tamen retinuit plusquam fas erat, & ex tam longa mora in

non reconsignando claves jam refectas argumentum retrahit Fiscus illum claves similes confecisse, ut furtum admitteret, etiam ex quo confessus fuit fabrum refectionis clavium adfuisse Paschalem Caudisca, qui plures ante menses reperiebatur mortuus. Accedit quod adhibitis diligentiis in ejus domo, illic fuit inventa portio prædicti furti, nam contra alios præter nominationem Damiani Sansonetti, ex ore Antonii Pesce, non adsunt alia indicia, quam insurrectio publicæ vocis & famæ; & secretæ allocutiones, quæ fiebant in apotheca barbitonsoris Talesco, ut supra jam enunciatum est.

Sequuntur alia duo furta, nempe unum ducarorum 300. circiter in damnum Paschalis Siciliano, pro quibus cuncti nuncupati fures vexantur tantummodo indiciis publicæ vocis & famæ, & secretarum allocutionum, & contra Cajetanum Blanco concurrit quoque indicium aliud, inventionis scilicet instrumenti apti ad aperiendum quæcumque ostia, vulgo appellati *Votajanni*, in actu carcerationis. Et tandem contra Josephum Orontium de Laurentiis adest indicium diffamationis, cum ipse alias fuerit inquisitus, & delatus de furto, & fuit liberatus Regali indulgentia anni 1768.

Perfecto igitur judicio, fuerunt rei per Regiam Audientiam damnati ad triremes, Cajetanus Blanco videlicet per annos quindecim, Joseph Talesco per annos decem, Joseph Orontius de Laurentiis, & Damianus Sansonetti per annos quinque, & Joseph Moliner ad inserviendum in Regio Præsidio per septennium.

In gradu appellationis subjecta hujusmodi sententia examini M. C., censuit hoc Tribunal pro furtis admissis ante publicationem Indulgentiæ diei 18. Julii 1772., deductisque postea, non esse procedendum contra rubricatos; ipsos æque gaudere debere Regali Indulgentia diei 10. Februarii currentis anni pro furto in damnum Thomæ Cesano, etiam attenta eorum petitione, & pro cete-

ceteris furtis utpote patratis cum clavibus adulterinis, fractura januarum, & fcaliatione refpective, M. C. arbitrando indicia ex vetufto ufu fic judicandi vigore *L. 38. ff. de legibus*, *Senatus Confultis*, *& longa confuetudine*, & ex argumento *Reg. Pragm. 11. §. 6. de empt. & vendit.* cum aliquo temperamento benignitatis, ne quid durius, aut remiffius, quam caufa hæc depofcit, conftituatur, *L. Refpiciendum ff. de pœnis*, juffit, atque mandavit, *Rubricatos Cajetanum Blanco*, *Jofephum Talefco*, *& Damianum Sanfonetti effe tranfmittendos ad infervendum in Regio Præfidio claufo*, *deftinando per S. M. per annos quinque*, *Jofephum Orontium de Laurentiis per annos tres*, *& Jofephum Moliner per annos duos*, taliter reformando fententiam Regiæ Audientiæ Hydruntinæ; & pro Jofepho Moliner fieri relationem S. M.

Michael Tufanus Scriba.

In caufa Notarii Francifci Commune, principalis inquifiti, & carcere detenti, primo ob furtum ducatorum 300. commiffum in Banco Sanctæ Mariæ de Populo hujus Civitatis a D. Philippo Maffa in damnum Laurentii ejus patris, præcedente falfitate ab ipfo Notario facto in Fide Crediti *illius Banci: fecundo ob furtum ducatorum 300, tentatum a Marchione D. Michaele Trapani, præcedente falfitate ab eodem Notario commiffa in falfo Mandato Arrendamenti olei, & faponis, confecto a dicto Marchione in damnum D. Nicolai de Georgio heredis qu. D. Dominici, & D Caroli, ac ad idem Bancum directo: tertio ob duo falfa, ut conjicitur, donationum Inftrumenta ab eodem pariter Notario confecta in damnum D. Jofephi, & D. Brunonis Secco: poftremo ob manum ab ipfo datam, ut fimiliter conjicitur, duobus furtis cum falfo Mandato Arrendamenti, tentatis in Banco prædicto a qu. Notario Gabriele Tizzano in damnum D. Philippi Sorrentino, & heredum qu. D. Bafilii Forlofia, ut ex actis. Die 28. Junii 1775.*

Referente Reg. Conf. D Cæfare Ruggiero Aulæ Præfecto.

AUguftinus Ægidius Maffa nauta Surrentinus multis ab hinc annis uxorem duxit Mahoni, Minoricæ Infulæ oppido, ubi amicum fibi paravit Joannem Baptiftam Subiele ejufdem oppidi negotiatorem: paucis poft annis negotiandi caufa Algerianum navigavit in Regnum: dum-

Etfi crimen ultimo fupplicio plectendum, ex probationibus, & ipfa Rei confeffione nitido conftet; mollienda tamen pœ-

ma est, diutino carcere, quem is passus est, inspecto.

dumque se tutum a Piratarum insidiis facere iter credebat, capitur navis, qua vehebatur, a barbaris illius Regni Piratis, Mediterraneum infestantibus mare: captam Piratæ navim ad Juliam Cæsaream, urbem Algeriani Regni principem, ducunt; ibique Negotiatori cuidam sub corona venditur Augustinus Ægidius, qui tandem septem post annos a servitute redimitur opera, & pecunia Joannis Baptistæ Subiele, quem miserebat amici sortem iniquam Hero sævissimo servientis. Beneficium a Joanne Baptista in Augustinum Ægidium collatum rescivit hujus pater Laurentius nomine, qui filii Liberatori promisit, se curaturum, ut quantam solverat pro redimendo filio pecuniam, tantam reciperet statim ac ille Neapolim venisset: multa enim pro libertate Augustini Ægidii pecunia a nonnullis piis Collegiis deposita erat in fidem publicam ipsi Joanni Baptistæ solvenda: hic ergo, missa ad Laurentium epistola, eum rogavit de exigenda suo nomine pecunia, postquam ad ipsum misisset Procurationis Mandatum, sine quo exigi nullo poterat modo. Interea venit Neapolim Augustinus Ægidius anno 1763., traduntur Laurentio apochæ a Rectoribus piorum Collegiorum: has ille servandas tradit D. Philippo Massa alteri ex filiis suis. Hic autem Laurentii filius, expectante patre Procurationis Mandatum Joannis Baptistæ; optimum duxit in alium convertere usum apocham ducatorum 300, quam Gubernatores Regiæ Domus Redemptionis Captivorum, pro restituendo libertati ejus fratre, patri tradiderat. Iniit ergo de exigenda pecunia consilium cum Notario Francisco Commune sibi amicissimo: hic accepta ad id mercede (ut D. Philippus patri, unique ex testibus dein asseruit) subscriptione ipsius D. Philippi fidem subnexuit, qua falso testatus fuit, D. Philippum Procuratorem esse Joannis Baptistæ Subiele Mahoni degentis; posse propterea hujus nomine pecuniam illam a Banco exigere, ac hujusmodi

modi Procurationis Mandatum a se servari. Re itaque hoc modo confecta, it ad Bancum D. Philippus, apocham falsa Notarii fide munitam exhibet, pecuniam recipit, & voti compos, perfecto furto, discedit.

Marchio D. Michael Trapani meditatus fuit furari D. Nicolao de Georgio, heredi D. Dominici, & D. Caroli; totam illam pecuniæ summam, quæ D. Nicolao debebatur ex causa nonnullorum Arrendamentorum, ut ajunt, quæque eo nomine deposita erat apud Bancum S. Mariæ de Populo: quare mense Aprili anni 1764. schedulam, vulgo *Mandato d'Arrendamento*, sua manu scripsit, relicta lacuna a numeris summam exprimentibus inveniendam implenda, falso asserens, se Procuratorem esse fratrum D. Dominici, & D. Caroli de Georgio ad id constitutum, ut eam pecuniæ summam exigeret: quumque schedulæ sese subscripsisset, Notarius Franciscus Commune Marchionis subscriptioni fidem subjecit suam falso confirmans, quæ falso subscripserat Marchio, falsoque addidit, Procurationis Mandatum apud se esse. It ergo ad Bancum Marchio pecuniam exacturus; sed apocharum Inspector, vulgo *Pandettario*, retenta schedula, Marchionem rogavit, ut ad se mitteret Notarium, qui quemdam ex animo scrupulum, quem sibi subortum finxit, eximeret; siquidem Notarii fides erat illi suspecta. Detecta interim Marchionis fraude, ac falsitate Notarii; fuit hic in carcerem detrusus, qui postea tam hoc, quam illud, quod primo loco retuli, crimen in judicio fateri non dubitavit.

Reo autem in carcerem conjecto, alia fuerunt crimina objecta, duo nempe instrumenta scripsisse, ex quibus apparet, ab U. J. D. D. Francisco Vespoli donatam fuisse irrevocabiliter inter vivos D. Francisco Perrone domum quamdam, quam Neapoli possidebat: D. Josepho vero, & D. Cajetano Perrone prædia quædam alibi sita: quæ quidem falsæ donationes damnum intulerunt non quidem

dem leve D. Josepho, & D. Brunoni Secco D. Francisci donantis nepotibus.

Praeterea idem Notarius Franciscus Commune accusatus fuit, manum dedisse duobus furtis, quae totidem falsitatibus Notarius Gabriel Tizzano e vivis sublatus tentavit committere D. Philippo Sorrentino, & heredibus D. Basilii Forlosia in publico Banco V. Non. Majas anni 1764. Verum quod attinet ad haec postrema crimina, liquido affirmari non potest, donationes fuisse falsas; conjici tamen ex argumentis potest: manum autem a Reo, quo de agitur, datam fuisse furtis a Notario Gabriele Tizzano tentatis, nullae quidem perfectae probationes ostendunt, sed id ex una ejusdem Notarii Gabrielis confessione conjicitur.

Jam vero quum ipse Notarius Franciscus Commune in judicio fassus fuerit, crimina primo, & secundo loco memorata ab eo fuisse commissa; M. C. V. Del. perpendit, in eum, qui sua se confessione damnavit, ferendam esse sententiam, *L. 1. Dig. de confessis*, *L. 1. Cod. eod. tit.* Licet autem istiusmodi reus, inspecto jure Patrio, capitis poena plectendus fuerit, *Pragm. V. VIII. IX. & X. tit. de falsis*, & Regni Constitutione lata anno 1751.; attamen M. C. V. Del. perpensa *L. Si diutino 25. Dig. de poenis*, molliendam censuit poenam ejus undecim fere ab hinc annis in carcere agentis: quapropter, me referente, ac Fisco, & Dom. Advocato Pauperum, & Rei auditis, hujuscemodi tulit decretum: *Rubricatus Notarius Franciscus Commune remiget vita durante.*

Franciscus d'Alessandro Act. Mag. Franciscus Jovene Scriba.

In

In causa Angeli Straticò, Terræ Luncri, principalis inquisiti, & carcerati in Regia Audientia Consentia, de ordine, & mandato, ac instigatione in appensato homicidio, cum qualitate assassinii, præcedente concertu, & promissione ducatorum octo, & deinde solutione carolenorum quinque, ictu scoppittæ, in campanea, commisso a Gabriele de Martino dictæ Terræ Luncri in personam Rosæ de Marco de Matthæo, ejusdem Terræ; & ad querelam Francisci de Marco ejus fratris, ut ex actis. Die 1. mensis Julii 1775.
Referente Dom. Judice D. Paschale Perelli.

Cum gravissima indicia concurrant, pœnam Judex arbitratur, ejusque prudentiæ relinquitur, juxta criminis, indiciorumque qualitatē sententiam ferre.

ANgelus Straticò Terræ Luncri, Citerioris Calabriæ, Rosæ de Marco, ejus concivis, incensus amore, illam anno 1742. diligere cœpit. Illum Virgo mutuo prosecuta amore, ipsoque aucto, sub promissione matrimonii dein Rosa stuprum passa fuit: ex concubitu secuta prægnatione Virginis, Angelus Straticò suos vertit amores ad Mariam Fulgirò aliam concivem, cum qua mens illi fuit conjugio se jungere. Elusa virgo Rosa de Marco, impedimentum posuit in Curia Ecclesiastica Diœcesana; illic super hinc inde deductis & prætensis, compilato termino, cum constaret de bono jure Virginis, & de illius honestate, secus de jure Angeli, metuens ne in causa succumberet, illam constituit interimi facere, ac proinde operam conduxit Gabrielis de Martino, convento pretio ducatorum octo. Assassinus pluries fuit miserrimam Virginem insidiatus; tandem die 5. Decembris anni 1745. positus in insidiis, dum Virgo de mane pergeret in campaneam, ictum in eam injecit scoppittæ, quo plurimis sauciata vulneribus statim exanimata est. Homicidio patrato, continuo vox insurrexit, virginem Rosam prædicta ex causa fuisse interemptam per Gabrielem de Martino de mandato Angeli Straticò, Joannis Berardini de Aquila, & Fatii Fulgirò, prævio concertu, ac ad instigationem Lucretiæ de Rosa, & Mariæ Fulgirò, cum qua Maria deinde Angelus Straticò matrimonium contraxit clandestinum.

Per

Per Curiam localem capta informatione, constitit de homicidio per unum testem de visu respectu interfectoris: constitit autem fuisse admissum de mandato Angeli Straticò, aliorumque nominatorum, ex sequentibus indiciis, & probationibus, ex amoribus scilicet inter Rosam, & Angelum, & exinde copula carnali secuta cum prægnatione ipsius Rosæ; versione prædicti Angeli ad amores Mariæ Fulgirò, cum qua, post Rosæ cædem, sponsalia contraxit de præsenti; impedimento per Rosam, & illius fratrem interposito in Curia Dioecesana; & lite diu inter ipsos habita, probata non solummodo per testes, verum etiam per instrumenta; de incessu immediate post delictum Angeli Straticò cauto, & cum armis, probato per unum testem; totali appartatione & absentia trium mensium spatio post Rosæ cædem; trepidatione & pallore, audita carceratione Gabrielis assassini, Angeli Straticò, & Bernardini de Aquila, dicentium *væ nobis*; tametsi carceratio non fuerit verificata: super quibus duo deposuere testes, uno tamen non repetito; item ex secretis allocutionibus tam ante, quam post homicidium, cum Gabriele, licet deponantur per unum testem nequaquam repetitum; voce & fama illico orta; publico judicio hominum Terræ Luneri, Angelum Straticò internecionem Rosæ mandavisse; & postremo ex levitate vitæ ipsius Angeli: quibus omnibus accessit nominatio antedicti Gabrielis, qui vinculis mancipatus, tam in Curia locali confessus fuit, se Rosam de Marco interfecisse jussu & mandato Angeli, & sociorum, pretio ducatorum octo, quam in Regia Audientia Provinciali, in qua fuit convalidata ejus confessio in tortura, citatis prius præfato Angelo, aliisque sociis.

In carceres quoque Regiæ Audientiæ conjecto Angelo Straticò, pluribus annis post Rosæ cædem, Curia localis Terræ Luneri petiit sibi remitti causam, quæ illi cum effe-

effectu fuit remissa, electo tamen Judice in civitate Consentiæ, qui procederet cum interventu illius Domini Fisci Patroni, accedente etiam Regali rescripto S.M. cum ordinatione, ut sententia Judicis eligendi revideretur per M. C.; & Judex electus, datis defensionibus, pronunciavit, rubricatum Angelum Straticò fore liberandum in forma.

M. C. V., recognitis actis, ac probationibus ex ipsis resultantibus, censuit, hujusmodi indicia non levis ponderis esse, immo urgentissime, magis adjuta adminiculis, & probatione maxime quod inter Virginem, & sicarium nulla adfuit inimicitia, & causa cædis, pro quibus recte Angelus Straticò subjici acri quæstioni poterat, ulla non habita ratione defensionum, uti suspectarum, nec attestationis negativæ Cancellarii Curiæ Ecclesiasticæ Diœcesanæ, in cursu defensionum exhibitæ, non adesse in Archivio acta impedimenti positi a Rosa de Marco in matrimonio, quod statuerat contrahere cum Maria Fulgirò; cum de dicto impedimento testetur Episcopus in ejus epistola ad Spectabilem Præsidem Provincialem missa. M. C. nihilominus in tam gravi & atrocissimo crimine, ne ipsum impunitum remaneat, recedens a quæstione, ac arbitrando indicia ex vetusto recepto usu sic judicandi, vigore *L.* 38. *ff. de legibus, Sen. Consf.*, *& longa consuetudine*, & sumpto argumento ex *Reg. Pragm. XI. §. 6. de empt. & vendit.*, decrevit atque jussit, ***Rubricatum Angelum Straticò transmittendum esse ad Regias triremes per quadriennium, stante ejus diutina carceratione annorum octo***; taliter reformando sententiam Judicis electi in Civitate Consentiæ.

Joseph de Luccia Act. Mag. Angelus Antonius delle Donne Scriba,

In causa Joannis Morvillo, principalis inquisiti, & carcere detenti, ob emptionem thecæ, vulgo Tabacchiera, *valoris carolenorum* 30. *subreptæ D. Vincentio Schisano, ac ob venditionem ejusdem ab ipso factam in beneficium Paschalis Ricciardi, ut ex actis. Die* 8. *Julii* 1775.
Referente Dom. Reg. Cons. D. Cæsare Ruggiero Aulæ Præfecto.

Qui rei furtivæ venditorem celat, furti tenetur; cum tamen furti clarissimæ probationes desint, mitius cum eo agendum.

FErebatur mense Majo labentis anni Joannes Morvillo Salsamentarius, alias furti damnatus, domum deseruisse, ac latitasse. Res fuit ad me delata; statimque animo laboravi, ut cur latitaret, rescirem: mandavi itaque Thomæ Aromando Scribæ Fiscali, ut occultationis causam perquireret, deque ea me faceret certiorem. Paucis post diebus venit ad me Scriba causæ, retulitque ideo Joannem Morvillo latitasse, quia thecam quandam Nicotiano pulveri servando destinatam, ex laborata testudinis crusta compactam, aureis, argenteisque flosculis sparsim ornatam, argenteoque orbe cinctam, emerat a fure, qui illam subripuerat D. Vincentio Schisano per Forum Nundinarium transeunti, ac Aurifici cuidam inde vendiderat: quod ubi audivi, jussi ut in vincula conjiceretur Joannes. Hic autem fassus fuit ingenue, thecam illam, de qua sermo est, a se venditam fuisse Paschali Ricciardi; ipsum vero a fure emisse prorsus negavit: asseruit enim, venditam fuisse uxori suæ, ipso inscio, thecam ab homine quodam peregrino, illi penitus ignoto. Verum ita se rem habuisse, minime quidem evicit, licet falsos pro se produxerit testes. Atque hæc summa rerum. Verum utcumque se res habeat, argumentis dumtaxat conjicitur, Joannem Morvillo a fure thecam emisse: nam ipsimet Reo indicandum erat, a quo thecam emerat, *L.* 5. *Cod. de furtis*: venditorem autem thecæ non indicavit, immo falsis, quos adduxit, testibus celare potius voluisse visus fuit, ideoque aliqua afficiendus est pœna; qui enim rei fur-

furtivæ venditionem celat, hoc ipſo, quod celat, furti tenetur, *L. Qui vas argenteum* 48. §. 1. *Dig. de furtis*. Prætcrea compertum fuit, reum, de quo agitur, annis 1761. & 1774. res furtivas a furibus emiſſe; anno vero 1761. furti cauſa damnatum fuiſſe Præſidio: quæ quidem omnia indicant, ut dictum eſt, ipſum a fure thecam, non autem uxorem ejus a peregrino, emiſſe. His itaque (quoniam clariſſimæ deſunt probationes) diligenter conſideratis, perpenſaque *L. Reſpiciendum* 11. *Dig. de pœnis*; M. C. V. Del., licet graviori pœna Reus plectendus eſſet; eum tamen mitiori cenſuit puniendum: quamobrem, me referente, ac Fiſco, & Advocato Rei auditis, iſtiuſmodi tulit decretum:

Rubricatus Joannes Morvillo inſerviat per biennium in Præſidio clauſo, declarando per. S. M.

Joſeph Piſacane Act. Mag. Thomas Aromando Scriba.

In cauſa D. Antonini Morvillo, principalis inquiſiti, & carcere detenti, ac Roſæ Farace, principalis itidem inquiſitæ, & carcere ditentæ, ob non obſervatum ab ipſis M. C. mandatum de non converſando unitim ſub pœna Præſidii per decennium reſpectu dicti D. Antonini, & Pœnitentiæ ad arbitrium ejuſdem M. C. reſpectu prædictæ Roſæ, ob adulteria ab iiſdem inceſte commiſſa, ut ex actis. Die 26. Auguſti 1775.
Referente Dom. Reg. Conſ. D. Cæſare Ruggiero Aulæ Præfecto.

D. Antoninus Morvillo, Patria Surrentinus, homo ad luxuriam adeo proclivis, ut nihil ſupra, anno ab hinc uno ſupra trigeſimum, ex quo ſcilicet in uxorem duxit D. Antoninam de Canto, in ſtupris, & adulteriis impudentiſſime vitam egit. Hic enim, gravidatis duabus de ſe puellis, virum inexpertis, quas domi famulas Surrenti degens habebat; corrupta adulterio cujuſdam Surrentini civis uxore, qua cum muliere annis tribus & decem deperdite vixit; converſa in obſcœnum lupanar domu, in quam meretrices inducebat; ſceleribuſque id genus aliis, ut compendio utar, commiſſis; quæ ta-

Licet violati mandati crimen ea pœna plecti debeat, quam Reus ipſe ſolemniter ſtipulatus eſt; lenius tamen punitur, cum vel minimum quidquam pro reo conſiderari queat.

tamen ipsi Regalis indulgentiæ participi an. 1760. fuere remissa; tandem, ut hujusceemodi flagitiis flagitium adderet gravius, infami contubernio sibi copulavit germanas sorores Carminam, & Rosam Farace innuptas: hæ autem in matrimonium deinde datæ fuerunt Laurentio Giaquinto, & Nicolao Scuotto, quibuscum quum nullam vitæ societatem, ipsis consentientibus, habuissent, quinque adulterinos filios D. Antonino tractu temporis pepererunt, tota Surrentina urbe in eum propterea excandescente. Interea miserrima D. Antonini uxore, & D. Hippolyta Maggione ejus nuru, infelicissima scilicet uxore D. Caroli illius filii, istiusmodi consortium a D. Antonino sexagesimum fere secundum ætatis annum agente ad hæc usque tempora pertinaciter protractum ægre ferentibus; quippe quæ D. Antonini jussu, & D. Caroli consensu eandem incolere cogebantur domum, in qua earum mariti cum meretricibus, filiisque, quos ab his D. Antoninus suscepit, domicilium habebant; detrusus fuit in carcerem D. Antoninus, qui quodam deinde morbo correptus fuit. Reo interim in carcere ægrotanti M. C. permisit, ut valetudinis causa Surrentum iret, rediturus ad carcerem simul atque convaluisset, mandavitque sub decennalis pœna Præsidii, ut cum Carmina, & Rosa Farace non conversaretur: idem sub eadem pœna M. C. D. Carolo mandatum injunxit: Carminæ itidem, & Rosæ Farace mandavit, ut amplius D. Antonini, & D. Caroli consuetudine non uterentur, quin imo, statutis in eas pœnitentiæ, aliisque, quas sibi reservandas censuit, pœnis, jussit ut Neapoli degerent. Acceptatis itaque ab omnibus hujusceemodi mandatis; dimissus fuit e carcere D. Antoninus, ivitque Surrentum. Hic autem ter, quaterque se Neapolim contulit, obtenta licentia, ut animum adverteret suum civili causæ in S. R. C. ipsi, & D. Carolo a D. Antonina, & D. Hippolyta alimenta petentibus, aliisque creditoribus motæ:

motæ:

motæ: hac arrepta occasione D. Antoninus ibat domum Carminæ Farace, ubi inveniebat & Rosam, quam præ Carmina in deliciis habebat: ibi ipse, & D. Carolus diu noctuque sæpissime versabantur: ibi pluries ambo prandebant: ambo apud meretrices ibi plerumque cœnabant. Interea IV. Idus Februarii elapsi anni Regalis indulgentia, edictis propositis, promissa fuit: petiit statim D. Antoninus, ut ea gauderet: institit e contra D. Antonina ejus uxor, ut iterum in vincula conjiceretur maritus, quippe qui, spreto M. C. mandato, diu noctuque versabatur domi Carminæ Farace: missus itaque fuit pridie idus Februarii Dominicus de Marco Scriba Fiscalis cum Satellitibus M. C., & testibus ad Carminæ domum, quam quum una omnes ingressi fuissent, D. Antoninum, & Rosam in arca quadam considentes invenerunt, quamobrem tam D. Antoninus, quam Rosa fuit carceri mancipata. Ex instructo autem processu, præter ea, quæ superius memorata sunt, apparet, D. Antoninum, dum Surrenti degebat, oleum, & Surrentinas ficus meretricibus suis dono misisse: simulque patet, D. Carolum, absente patre, Carminæ domum frequentasse: liquet denique, non minus Carminam, quam Rosam Farace, D. Antonino absente, sæpissime cum D. Carolo conversatas fuisse: atque hæc summa rerum. Interea dum isthæc causa dijudicanda jam erat; D. Antoninum in carcere manentem visitatum ibat Carmina Farace, ideoque jussi, ut ea domi detineretur.

Quanquam autem primo intuitu tam Rosa Farace, quam D. Antoninus Morvillo pœna ab ipsis solemniter stipulata sub conditione violati mandati puniri debuissent, *L.* 20. *D. de verbor. obligat.*, attamen M. C. V. perpendit primo, lenius agendum esse cum muliere propter infirmitatem tum corporis, tum animi, atque consilii, quod multis in locis a juris conditoribus observatum videmus, *L.* 38. *§.* 1. *&* 2. *L.* 39. *§. Mulierem Dig. ad L. Jul.*

L. Jul. de adult. L. 5. §. ad filias C. ad L. Jul. Majest. L. 7. D. ad L. Jul. Pecul.; ideoque M. C. pœnam mandato ſtatutam non irrogandam cenſuit Roſæ Farace. Perpendit ſecundo eadem M. C. a D. Antonino Morvillo ſecundo die poſt promiſſam Regalem edictis propoſitis indulgentiam, violatum fuiſſe mandatum de non converſando, ut ajunt, cum Carmina, & Roſa Farace: quumque reſpiciendum ſit judicanti, ne quid durius, aut remiſſius, quam cauſa depoſcit, conſtituatur, *L. Reſpiciendum* 11. *Dig. de pœnis*; propterea molliendam cenſuit pœnam ejus. Tandem ne Carminam Farace, quæ, ne in vincula conjiceretur, pridie idus Februarii, Roſa, & D. Antonino relictis, aufugit e domo, neque D. Carolum Morvillo impunitum M. C. relinquat; me referente, & Fiſco audito, ac Dom. Advocato Pauperum, & Reorum, hujuſmodi tulit decretum:

Rubricatus D. Antoninus Morvillo exulet recto tramite ab hac Civitate, & Caſalibus per decennium continuum, attenta etiam ejus carceratione, renovata obligatione ſub pœna Præſidii per decennium de non converſando cum Carmina, & Roſa ſororibus de Farace, & facta quoque obligatione ſub eadem pœna de ſervandis finibus exilii. Reſpectu vero rubricatæ dictæ Roſæ Farace carcer, quem paſſa eſt, cedat in pœnam, renovata pariter obligatione de non converſando, ſub pœna Pœnitentiæ per decennium, cum eodem D. Antonino, & ejus filio D. Carolo Morvillo, & ſe obliget pariter ſub eadem pœna de non diſcedendo ab hac Civitate abſque permiſſu hujus M. C., ſive Domini cauſæ Commiſſarii, ac procedatur ad ulteriora, & ad ea, quæ incumbunt contra ſupradictam Carminam Farace cum mandato domi detentam, & contra ipſum D. Carolum Morvillo.

Vincentius Lauretta Act. Mag. Joannes Baptiſta Belpaſſo Scriba.

In

In causa discussionis nullitatum, propositarum pro parte Notarii Francisci Commune principalis inquisiti, & carcere detenti, primo ob furtum ducatorum 300. commissum in Banco Sanctæ Mariæ de Populo hujus Civitatis a D. Philippo Massa in damnum Laurentii ejus patris, præcedente falsitate ab ipso Notario facta in Fide Crediti *illius Banci: secundo ob furtum ducatorum 733. tentatum a Marchione D. Michele Trapani præcedente falsitate ab eodem Notario commissa in falso Mandato* Arrendamenti *olei, & saponis a dicto Marchione confecto in damnum D. Nicolai de Georgio heredis quondam D. Dominici, & D. Caroli, ac ad idem Bancum directo: tertio ob duo falsa, ut conjicitur, donationum instrumenta ab eodem pariter Notario confecta in damnum D. Josephi, & D. Brunonis Secco: postremo ob manum ab ipso datam, ut similiter conjicitur, duobus furtis cum falso Mandato* Arrendamenti *tentatis in Banco prædicto a qu. Notario Gabriele Tizzano in damnum D. Philippi Sorrentino, & heredum qu. D. Basilii Forlosia, ut ex actis. Die 14. Octobris 1775.*
Referente Dom. Reg. Cons. D. Cæsare Ruggiero Aulæ Præfecto.

NOtarius Franciscus Commune, reus falsitatum delatus, convictus, confessusque fuit in judicio eas perpetrasse, quamobrem a M.C V. Del. IV. Kal. Julii labentis anni perpetuis damnatus fuit triremibus, quippe qui sua se confessione damnaverat, *L. 1. D. de confessis*, *L. 1. Cod. eod. tit.*; & licet istiusmodi reus, inspecto jure patrio, pœna capitis plectendus fuisset, *Prag. V. VIII. IX & X. tit. de falsis*, & Regni Constitutione lata anno 1751.; attamen eadem M.C.V. D. benigne agens cum reo, perpensa *L. Si diutino 25. D. de pœnis*, molliendam censuit pœnam ejus undecim ab hinc annis in carcere agentis. Pœnæ molliendæ potius sunt.

Hujuscemodi autem condemnationis decreto Dominus Pauperum Patronus rei partes agens, nonnulla objecit nullitatum capita, quibus id potissimum evincere conatus fuit, reum scilicet nimia credulitate usum fuisse cum Sacerdote D. Philippo Massa, ac Marchione D. Michaele Trapani, quorum precibus, & suasionibus, non autem proposito, & voluntate, falsitates primo, & secundo memoratas loco commisit, ideoque alia mitiori pœna, quæ tamen perpetuæ comparari possit, puniri debuisse contendit, eo vel magis, quod diutino tempore carceri fuerat mancipatus.

Ve-

Verum, ne rerum feriem, calamo ceteroquin fufiori in condemnationis decreto expofitam, repetamus; nimia ifthæc credulitas non videtur facile admittenda, præfertim quum argumenta quædam colligantur ex actis, ex quibus conjici poteft, reum, quo de agitur; duo falfa donationum inftrumenta dolo malo fcripfiffe, nec integræ exiftimationis hominem fuiffe: præterquamquod dici nequit, dolo vacaffe reum, qui procurationum mandata, fine quibus exigi a Banco pecunia non poterat, apud fe effe adfirmavit, quod utique falfum erat. His itaque omnibus diligenter confideratis; animadvertit M. C. V. D., condemnationis decretum ab ipfa latum allatis nullitatibus non infirmari: quia tamen pœnæ molliendæ funt, tefte Hermogeniano in *L.42. D. de pœnis*; propterea majore ducta benignitate a Legibus præfcriptis non abhorrere reum remiffius puniendum cenfuit: quamobrem, me referente, ac Fifco, & Dom. Advocato Pauperum, & Rei audito, iftiufmodi tulit decretum: *Nullitates non obftare: verum Rubricatus Notarius Francifcus Commune remiget per annos vigintiquinque continuos; quo tempore expleto, exfractet a toto Regno, fervata forma Regiæ Pragmaticæ.*

Simon Gagliardi Act. Mag. Nicolaus Bifcardi Scriba.

In caufa Regii Fifci cum Xaverio Gifuni Oppidi Jungani in Provincia Salerni, inquifito, & in carceribus hujus M. C. detento, de homicidio ictibus cultri ferrei, ad inftar frondis olivæ, commiffo in perfonam Francifci Bambacaro ejufdem Oppidi, ut ex actis. Die 21. Octobris 1775.
Referente Dom. Jud. D. Pafchale Perelli.

Qui primo iracundiæ impetu interfecit, extraordinaria pœna plectendus eft.

IN Oppido Jungani in Salernitana Provincia vefpertina hora diei 19. Aprilis anni 1772. collectis quampluribus civibus in atrio Palatii illius Ill. Poffefforis, uti mos erat, ibi unitim allocuturis, illuc fe contulit Jeremias Cairone; qui confalutato Petro Romano ejus amico, in

in eodem loco cum aliis moram faciente, jocandi causa dixit, illum sibi videri ebrium. Putans Joseph Carbellese, unus de adstantibus, hujusmodi Jeremiæ Cairone verba fuisse in ejus injuriam, & sociorum prolata, iratus respondit: Quid? Nos in ebrietatem prolapsi sumus? hoc baculo vellem, ut a me vapules. Eundem sermonem pariter iteravit Franciscus Bambacaro, alter ex adstantibus. Quapropter omnes conventi consilium præbuerunt Jeremiæ Cairone, ut abiret, ad evitanda scandala; imo Xaverius Gifuni, qui illic erat de congregatis, digito signum fecit præfato Jeremiæ, ut cum effectu discederet. Existimans nihilominus Franciscus Bambacaro, Xaverium Gifuni illo signo magis sollicitavisse Jeremiam Cairone ad illis injuriam inferendam, inquit non opus esse hujusmodi signis, se bene inspexisse has suas nictitationes. Xaverius Gifuni autem in sui exculpationem responsum dedit se innuisse Jeremiæ Cairone, ut discederet, ad tollenda scandala, non autem impulisse, ut illi injuriam inferret. At Franciscus Bambacaro in eadem permanens credulitate, quamplura alia verba injuriosa in Xaverium Gifuni protulit, illi minitando velle eripere cervicem; hisce verbis respondit Xaverius Gifuni: *concoque vinum, nam crastina die a te vapulabo; cum sim certus, quod postea non facias.* Effusus magis in iras Franciscus Bambacaro se impulit in ejus adversarium Xaverium Gifuni, & ne hic læderetur, accurrerunt statim Joseph Carbellese, & Ferdinandus Mollo, qui Franciscum Bambacaro continuerunt in brachiis. In hoc statu rerum accurrit pariter Dominicus Gifuni consobrinus Xaverii, qui etiam tenuit præfatum Franciscum. Perveniente dein Vincentio Bambacaro fratre Francisci fuste percussit Dominicum Gifuni, qui relicto Francisco, insecutus fuit illum, & fragmento ejusdem fustis, quamplura verbera intulit in Dominicum. Ast Franciscus Bambacaro solutus e brachiis Dominici Gifu-

Gifuni irruit in Xaverium, tametsi tentus fuit a Carbollese, & Mollo, & in gutture illum percussit. Tunc Xaverius extracto e sacculo cultro ferreo ad instar frondis olivæ, pluribus vulneribus confixit Franciscum, qui relictus a Carbollese, & Mollo, dando se ad pedes, illum insectatus fuit Xaverius Gifuni, ei vulnera inferendo usque ad lapsum in terram ipsius Francisci, qui receptis aliis vulneribus statim exanimatus est.

Vinculis mancipatus Xaverius Gifuni non negavit homicidium; professus tamen fuit illud nonnullis qualitatibus minorantibus admisisse, & datis eidem defensionibus, nil in sui defensionem deduxit, idcirco ventum ad expeditionem causæ. M.C.V. autumavit cædem hanc fuisse admissam per Xaverium Gifuni in primo iracundiæ impetu, sine præmeditatione, ac prævia cæsi provocatione, ita ut non voluntarius sicarius existimari debeat, tametsi non omnino involuntarius, ac proinde non censendus obnoxius dispositionibus *L. Corneliæ de Sicariis*, nec Fridericianæ Constitutioni Regni *Terminum vitæ*, sub *tit. de homicidiis puniendis*, sed aliquo mitius extra ordinem plectendus, cum majora supplicia illis deceat imponere, qui consulto per iram interficiunt, illis vero minora, qui de repente & inconsulto. Perpensis tamen reiteratione ictuum maxime post lapsum Francisci Bambacaro in terram, & qualitate armorum; M. C. secuta auctoritatem *L. Hodie ff. de pœnis*, jussit atque decrevit, *Xaverium Gifuni damnandum ad inserviendum in Regiis triremibus S. M. per annos quindecim sine exfractu a Regno, expleto tempore pœnæ, cum accesserint remissiones partium querelantium*.

Barba Scriba.

In

In causa Regii Fisci, cum D. Fabio Putignani Roccæ Imperialis inquisito, & detento in carceribus M. C. de nonnullis calumniosis, improbisque criminum capitibus, delatis S. M., in præjudicium existimationis D. Francisci Crivelli Ill. Ducis Roccæ Imperialis prædictæ. Die 22. Novembris 1775. Referente Dom. Jud. D. Paschale Perelli.

Licet calumniator plectendus sit similitudine supplicii, pœna tamen plerumque temperatur.

MEnse Octobris anni 1764. D. Fabius Putignani civis Roccæ Imperialis, prævio libello S. M. oblato, Ill. Ducem D. Franciscum Crivelli postulavit plurimorum criminum. Missa hæc verificanda per Regiam Audientiam Provincialem Materæ, tametsi pluries fuerit delator vocatus ad probationes prodendas, ac lumina ipsarum patefacienda, tandem præcedentibus non paucis ordinibus S.M., ac illius carceratione Domini Regentis M.C. jussu executa, in controventionem obligationis per ipsum confectæ de subministrando probationes antedictas, & lumina ipsarum, illas cum correspondentibus luminibus hic Neapoli exhibuit penes Regium Consiliarium Præfectum Aulæ M. C. D. Januarium Pallante, cum reservatione ostendendi alia crimina, & alias suppeditandi probationes. Transmissis dein Regiæ Audientiæ, hæc statim destinavit Subalternum inquisitorem, qui super faciem loci per diligentias primo, & mox per judiciariam informationem comprobavit, delata crimina vera non esse, & apertam sapere calumniam. Nam respectu primi criminis, Ducem nempe Crivelli anno 1751. in profundum carceris mandavisse locandum Franciscum Antonium le Velle, rapiendi causa ab ipso confessionem cujusdam thesauri, quod asserebatur ab ipso repertum, ibique multis afflictatum tormentis, maximeque vexatum inedia fuisse mortuum, extractumque corruptum, & vermibus obrutum; comprobatum fuit per tabulas processuum, Franciscum Antonium la Velle prædicto anno 1751. fuisse carcere clausum ordine illius Localis Curiæ ad querelam Josephi la Trecchia, pro

 furto

furto per eundem admisso modii unius frumenti, & campestrium instrumentorum, pro quo capta informatione per Curiam Localem, furtum patuit per duos testes deponentes super asportatione rerum furto ablatarum per Franciscum Antonium le Velle facta, ac confessione extra judicium furis, qui pariter in judicio furtum professus fuit, aliqua tamen qualitate excusante; dominum scilicet illi debitorem fuisse; & quamvis in carceribus interclusa anima mortalitatem explevisset post triginta quinque dierum spatium, fuit nihilominus per peritos, qui cadaver inspexerunt Judicis mandato, judicatum, Franciscum Antonium le Velle occubuisse uti abreptum morbo apoplexiæ, ex eo quia nullam invenerunt notam, qua judicaretur fuisse scelere exanimatum, præter tamen signum oris obtorti, quod magis peritos confirmavit in judicio, mortem advenisse ab apoplexia. Eo vel magis, quod examinata soror mortui le Velle, non questa fuit, nec affirmavit suum fratrem mortuum scelere, imo mensibus duobus ante ipsius mortem, eundem alio apoplexiæ motu laboravisse.

Ejusdem furfuris repertum fuit alterum oppositum crimen, Ducem Crivelli videlicet, cum Paulus Nuzzo armiger Curiæ Localis duceret ad carceres Fabium Mangone, e quibus paulo ante aufugerat, & in quibus detinebatur, uti ære pressus alieno, illum interemit ictu cultri ferrei, patrocinium sumsisse dicti Armigeri, itaut vetaverit uxori interempti recurrere ad Regia Tribunalia, ad hoc ut sicarius impunitus remaneret, eique minitando exfractum e patria; compertum namque fuit ex exhibitione processus patrati homicidii in personam Fabii Mangone, uxorem confossi Fabii paulo post cædem sui viri, ad Regiam Provincialem Audientiam recurrisse, illamque uti viduam elegisse in Forum competens, fuisse mandatam inquisitionem, illaque capta, fuisse contra sicarium ventum ad expeditionem mandati de capiendo, nec vidua

dua conquesta fuit, se recepisse veraticnem aliquam, neque ipsi minatum, ne ad Regia Tribunalia recursum faceret.

Eadem calumnia manans repertum fuit tertium crimen. Invento extincto in campanea Terræ Bulittæ Francisco Oriolo, uxor Eleonora Petrosino inculpatum voluit cædis Josephum Petrosino ejus fratrem, consilio accedente cujusdam, qui reperiebatur ad servitium Ducis Crivelli, qui Dux ut illi faveret, uxori indixit, atque denunciavit illam expulsurus e patria, si ad Regia Tribunalia recursum faceret: patuit enim, Curiam Localem ad solam uxoris interempti querelam ad carcerationem devenisse inculpati Josephi Petrosino; cum effectu illam, nimirum uxorem, recursum habuisse ad Regiam Provincialem Audientiam, illamque eligendo in sui Forum competens; ac ab ipsa Regia Audientia fuisse mandatam excarcerationem Josephi Petrosino, & ordinatum, ut accuratiores prosequerentur diligentiæ, & testes audirentur in Aula.

Non absimili calumnia redolere quartum delatum crimen Inquisitor in propatulo posuit. Fuit delatus enim Dux Crivelli se sine figura judicii ex abrupto, & de facto mandavisse carceribus mancipari D. Julium Pastore, qui cum effectu per aliquot paucos dies in carceribus detentus fuit; namque constitit D. Julium Pastore fuisse vinculis conjectum ordine illius Localis Curiæ, prævia inquisitione, ob graves illatas injurias Deputatis Annonæ anni 1764., ut luculenter patet ex processu; imo D. Julius ipse in ejus depositione fassus fuit carcerationem in sui personam secutam, processisse ab ordine Localis Curiæ prædicta ex causa, non autem Ducis Crivelli; qui ad recursum ipsius D. Julii mandavit Gubernatori illum excarcerandum; tametsi jam repetiretur excarceratus ordine enarratæ Localis Curiæ.

Eidem vitio calumniæ obnoxium est quintum delatum crimen,

men, Duci Crivelli nempe servitia præstare Armigeros, sive Birruarios improbos, & inquisitos etiam de homicidiis. Notuit namque ex fide registri Regiæ Audientiæ illos non esse inquisitos, præterquam Andream le Rose notatum de controventione provisionum S. R. C. in præjudicium ejusdem Ducis Crivelli.

Et tandem sextum caput, Ducem Crivelli fœdas atque improbas usuras admisisse, & admittere in credendo hominibus suorum feudorum frumenta, tam ex varietate vocum, quam mensurarum, æque pollet nota calumniæ: Probatum enim extitit tam ex dicto testium, & plurimorum ipsorum hominum, quam ex aliis publicis documentis, tales improbas & fœdas usuras non extare; Et ne causa abesset, quinimo probatum fuit delatorem D. Fabium Putignani postulavisse Ducem Crivelli ad ultionem; cum Dux ipse in enarrato anno 1764. convenerit D. Fabium Putignani ad ipsi solvendam summam ducatorum 389, debitam a D. Francisco Putignani ejus patre, qui in annis 1758. & 1759. exactionem explevit taxæ inter cives debitorum Fiscalium, & remansit debitor juxta posita dictæ summæ Duci Crivelli, uti creditori Fiscali; pro qua præcedentibus notificationibus tribus domi peractis, tandem a Curia Locali Roccæ Imperialis sub die 5. Septembris 1764. fuerunt expedita mandata executorialia, & contra D. Fabium fuit executum in 208. modios frumenti, modios 40. hordei, & avenæ modios 53., in par bovum, atque tres vaccas; qui D. Fabius sentiens se gravatum, recursum habuit ad Regiam Cameram Summariæ, uti privilegio pollens Regiæ Dohanæ menæpecudum, postquam ad eandem jam recurrerat Dux Crivelli, a qua Regia Camera expeditis nonnullis ordinibus super restitutione rerum executarum, prævia cautione præstanda per D. Fabium de solvendo summam in actis deductam ad omnem ordinem Regiæ Cameræ; postremo accedente consensu ipsius D. Fabii, fuit

fuit ordinata venditio executi pacti, non pro summa ducatorum 389., sed pro ducatis 340. & 90.

Capta ergo hujusmodi informatione, illaque transmissa ad Regiam Audientiam, ipsa non processit ultra, sed de omnibus S. M. fecit relationem. Missa hac ad M. C., cum ordinatione, ut consuleret cum dictamine, patefaciendo etiam ordines per S. M. dandos; M. C. præ oculos habendo, nedum relationem Regiæ Audientiæ; verum etiam aliud commissum delictum a D. Fabio, in mandando typis capita criminum delatorum cum luminibus pro illorum verificatione, & in vulgando in præjudicium pariter jurium Regii Fisci exemplaria typi, tam in hac Civitate, quam in feudis Ducis Crivelli, quæ exemplaria ordine S. M. fuerunt collecta, etsi non omnia per Dom. Fisci Patronum tum temporis D. Franciscum Mastellone, & transmissa in Regalem Secretariam Status, Justitiæ, & Gratiæ; consuluit esse procedendum ad carcerationem D. Fabii Putignani, & illorum, qui consilium præbuerunt, ut capita criminum typis traderentur, & sic fuit per S. M. mandatum M.C., & Regiæ Audientiæ Provinciali, cum diplomate diei 30. Novembris anni 1765.

Regia tamen Audientia Materæ sub die dumtaxat 6. Maji 1772. jussit citari, & capi D. Fabium Putignani. Hic nihilominus petiit declarari abolitum crimen calumniæ ex Regali abolitione anni 1768., & successive de decreto carcerationis a Regia Audientia gravamen attulit ad hanc M.C., in qua etiam dein petiit velle gaudere Regali indulgentia diei 18. Julii anni 1775., & per M. C. fuit pronunciatum *non gaudere*, & fuit ordinatum procedi ad ulteriora.

Rebus sic stantibus, D. Fabius Putignani aliis libellis postulavit Ducem Crivelli, ei opponendo, nedum relata crimina, verum etiam alia atrociora, flagitando in partibus mitti Commissarium Campaneæ ad capiendam infor-

formationem. Postmodum iteravit secundum caput postremæ accusationis deferendo Ducem Crivelli, ut se relevaret a crimine violentiæ actæ viduæ Fabii Mangone, ei inhibendo sub pœna exfractus, recursum ad Regiam Audientiam Provincialem pro cæde sui viri, collusisse cum Regia Audientia, & solummodo in anno 1773. mandatam fuisse informationem dicti homicidii; itaut pro comprobatione hujusce facti, S. M. mandavit Profiscali Regiæ Audientiæ Materæ Auditori Agiutorio, ut investigaret in Archivio, ad finem videndi an in illo reperiretur processus præfati homicidii; & Auditor Agiutorio relationem fecit S. M., eum effectu extare talem processum eum subscriptionibus omnium Auditorum, qui tempore expeditionis illius in Regia Audientia aderant; qui processus deinde fuit transmissus ad hanc M.C., & ex eo clare liquet de calumnia dicti repetiti capitis.

Aliud interim D. Fabius Putignani calumniosum crimen aggessit Duci Crivelli. Oborta enim controversia inter viduam D. Hippolytam Giacobini matrem D. Fabii, & Portiam Bianco cum malis tractamentis, & injuriis vicissim inter ipsas habitis; insimulatum fuit mala tractamenta ipsa, & injurias fuisse illatas a Portia Bianco in personam D. Hippolytæ Giacobino, de mandato Ducis Crivelli, & nullum justitiæ complementum recepisse a Curia locali, ad quam vidua Giacobini recursum habuit, contemplatione dicti Ducis. Recognitis enim actis a Regia Audientia Provinciali, ordine S. M., retulit Curiam localem recte processisse in citando ad informandum utramque viduam; & inspectis etiam a Regiis Consiliariis Præfectis Aularum M.C. jussu S.M., una cum antecedentibus, prævia eorum consultatione, M.S. ejus Regali Diplomate diei 2. Junii 1774. rescripsit M. C. esse procedendum ulterius contra præfatum D. Fabium, uti nefarium, præcipitem, pertinacemque calumniatorem Ducis Crivelli, illumque plectendum legum servato dicta-

ctamine, executionique demandati relationes M. C. ab ipsa ante confectas M. S. respectu recentis accusationis aliorum criminum, quibus mediantibus nuper consuluit carcerationem D. Fabii Putignani.

Vigore igitur enunciati Regalis Rescripti, e mandato, cum quo reperiebatur per Civitatem, D. Fabius Putignani reductus fuit intus carceres, positusque in cursu judicii. Ejus depositione perstitit in enunciatis accusationibus. Interrogatus cum particula *Monitus* non negavit insimulationem criminum; affirmavit attamen illa probata non fuisse ob potentiam Ducis Crivelli, & callidas illius machinationes. Datis deinceps defensionibus, illis uti renuit. Ventum posthac ad expeditionem causæ, M.C., Advocatis tam Ducis Crivelli, quam ipsius D. Fabii, ac Domino Fisci Patrono in Aula auditis, censuit, capita criminum objectorum Duci Crivelli adeo manifeste calumniosa esse, ut nec quoque fundamentum habeant in depositionibus principalium offensorum, & Ducem Crivelli maximis afficere conviciis, & injuriis. Nec eidem D. Fabio posse opitulari declarationem per ipsum factam sub die 5. Martii 1765., tempore quo inquisitio perficiebatur, nolle prosequi accusationem criminum contra Ducem Crivelli, cum informatus extiterit illam nulla consistentia pollere, quoniam deinde recedendo ab hujusmodi declaratione majore vi animi sui, maximaque pertinacia illa iteravit cumulando alia atrociora. Lege Codicis postrema sub *tit. de Calumniatoribus* jubetur, ut calumniator plectendus sit similitudine supplicii. Idem sanciunt leges Regni, Constitutio nempe Fridericiana 130. sub *tit. de Calumniatoribus*, & Capitulum Caroli Regis II. Andegavensis incipiens *Accusatorum temeritas*. Juxta has legum dispositiones D. Fabius Putignani pœna ultima capitali esset afficiendus eo modo, quo puniendus erat Dux Crivelli, si objectorum criminum fuisset repertus patrator: Ast M. C. perpendendo, quod

lex Codicis jam exolevit quoad capitalem pœnam, ut patet ex proæmiis citatarum legum Regni, discedendo a dicta pœna, & utendo temperamento *L. Perspiciendum*, ac *L. Hodie §. de pœnis*, ne quid durius, aut remissius in hac causa constituatur, inspecta etiam conditione calumniatoris, & calumniam passi, jussit, atque decrevit, *D. Fabium Putignani esse detinendum in Regio Præsidio, destinando per S. M. per decennium*.

Joseph de Luccia Act. Mag. Memmi Scriba.

In causa Hieronymi Palmieri, & Annæ Pepe, principalinm inquisitorum, & carcere detentorum ob nonnullas monetas argenteas, vulgo pezzi di dodici carlini, *ab ipsis rasas, & inde expensas, ut ex actis. Die 23. Januarii 1776. Referente Dom. Jud. D. Joanne Thoma de Augustino.*

Conditio Rei, tempus, ignorantia, & si quæ alia hujusmodi sunt, omnino inspicienda ad temperandam pœnam.

MUlier quædam argentariam exercens V. Kal. Sextilis anni nuperrime elapsi ivit ad Bancum Pauperum repigneratura quas, receptis ducatis octo, pignori dederat res. Exhibet itaque Arcario pignorum notam pignoris sui, enumerat sex nummos carolenorum duodecim, additque carolenos octo, ut pignus soluto reciperet pretio. Interim Arcario, hujusce Vicario sex illorum nummorum orbes recentes a lima visi fuerunt; quamobrem sciscitari statim ex muliere de eo, a quo acceperat nummos: interrogantibus autem respondit mulier, hominem ex vultu tantum sibi notum secum præterito die nummos illos alia permutasse pecunia, quod ubi audivit Arcarius, jussit illinc non discedere mulierem. Interea delata res fuit ad M.C.V. Delegatam, quæ audita muliere, eaque in carcerem detrusa, quam Thereslam Russo vocant; nihil omnino intentatum, ut par erat, reliquit, ut homo, quem vestibus, habituque corporis Theresia designaverat, quæreretur.

Adfuit autem tempore Dominicus Tedesco Theresiæ filius, qui Josepho Calisano Scribæ fiscali nunciavit, sibi tam homi-

hominem, qui quærebatur, quam domum illius pernotam esse; quapropter, nulla interposita mora, causæ Commissarius, Regiique Fisci Patronus iverunt, duce Dominico, quæsitum hominem, qui VI. Kal. Sextilis nummos lima rasos Theresiæ tradiderat.

Quum autem ventum fuit ad domunculam quandam, institit, ut eam ingrederentur, Dominicus: Ingressi jusserunt satellitibus sistere & hominem ibi adstantem, qui Hieronymum Palmieri nuncupari se dixerat, & Annam Pepe ejus matrem: Quod ubi factum, perquisiverunt coram testibus nummos rasos, ac instrumenta nummis destinata radendis, quæ ibi celari suspicabantur. Lustratis igitur omnibus domunculæ angulis, invenerunt nonnullos nummos duodecim caroleuorum, quorum aliqui rasi, aliqui vero erant intacti: tres limas chalybe usu aliquantulum attritas, & quatuor involucra chartacea, quibus tegebatur argentum, quod nummorum orbibus lima rasis, collectum erat; quæ quidem omnia rite curarunt, ut partim lignea quadam capsula servarentur, partim chartarum involucris hispana cera clausis, anulisque testium, ut decebat, signatis operirentur. Viderunt præterea fixum parieti culinæ (quam quum ingrederentur, gemitus, singultus, & ululatus Hieronymi simul, & Annæ pœnas tanto crimine dignas pertimescentium audiri cœperunt) viderunt, inquam, fixum culinæ parieti bacillum quoddam ferreum nonnihil longum, cujus acumen parum retortum, idemque aliquantulum limatum, argenteoque pulvere, ut ita dicam, adspersum, testabatur bacillum illud unum ex instrumentis ad nummos radendos idoneis fuisse. Conjectis itaque in vincula Hieronymo, & Anna; hæc in judicio fassa fuit ingenue, se cujusdam Magdalenæ, cujus ignorabat cognomentum, familiaritate usam fuisse, ab hac nummos radendi artem didicisse, cum ea nummis radendis, ut victum quæreret, operam dedisse, ab ea audisse nummos rade-

radere peccatum non esse, neque delictum, alia siquidem nummi, ut ajebat illa, permutabantur moneta, non secus ac si essent intacti; proptereaque domi suæ artem hanc pluribus ab hinc mensibus exercuisse, hac quidem lege, ut lucrum, quod inde emergeret, ipsa cum eadem Magdalena partiretur. Fassa ibidem in judicio fuit Anna, a se filium suum, qui ceteroqui, ducta in uxorem Maria Anna Minicone, procul ab ipsa habitabat, nec bene cum ipsa conveniebat, pluries rogatum fuisse, ut sibi in culina domunculæ ejus nummos radere permisisset, illum ob id ei acriter succensuisse, sed tandem, ipsa suadente, victumque quotidianum filio, familiæque hujus promittente, maternis precibus annuisse: Hieronimo enim, quem surdum, ac pene hebetem reliquerat morbus, quo diu fuerat oppressus, deerat victum quærendi modus, ideoque tam ipse, quam uxor ejus (quæ alieno ceteroquin animo ab hoc scelere fuit), filiique fame laborabant: Tandem his addidit Anna, valde se vicem filii dolere, qui criminis pœnam daturus erat, quod, ipsamet impellente, commisit. Quæ in judicio fassa fuit Anna, eadem sua adfirmavit confessione Hieronymus, additque, munus suum fuisse orbes nummorum, quos mater bacillo ferreo applicatos lima raserat, sevo unctos panno fricare, ne recentes a lima viderentur; se curasse integro fere mense, ut nummi rasi alia permutarentur pecunia, bis tantum nummos rasisse, argenteamque rasuram ad Magdalenam chartaceis tectam involucris, quoque Veneris die tulisse, ut lucelli dimidium ab ipsa acciperet, quod matri tradebat, reliquo ipsi Magdalenæ cedente, eaque omnia fecisse, ne una cum familia fame periisset, quæ quidem omnia confirmaverat Anna. Compertum autem fuit, mulierem illam Magdalenam nomine esse Magdalenam Segalla natione Venetam, quæ, licet vir ejus ob istiusmodi enorme crimen hac in urbe commissum, fuisset morti damnatus a M.C.V.

M.C.V.Del., ac anno 1754. laqueo suspensus in Foro magno; attamen nil tale metuens & nummos radebat, & quod incredibile quidem dictu est, artem radendi Annam edocuit. Verum detrusis in carcerem Anna, & Hieronymo, indicataque in vulgus re, fugam arripuit Magdalena. Atque hæc summa rerum.

Quæsitum igitur fuit, quoniam de crimine non ambigebatur, quanam Hieronymus pœna plectendus, quanam pœna punienda esset Anna, quum sua se ambo confessione damnarint, *L. 1. C. de Confessis*, *L. 1. ff. eod. tit.?* Et primo quidem intuitu, inspecto, expensoque jure cum communi, tum patrio, *L. Scilicet* 8. *ff. de falsis*, *Pragm.* 1. & 2. §. 11. & 12., ac *Pragm.* præsertim 44. §. 6. *tit. de Monetis*, tam Hieronymus, quam Anna ultimo videbantur afficiendi supplicio. At contra consideratum fuit, posse a Judice statutam pro crimine mortis pœnam, quum res ita postulat, mutari, cui quidem sententiæ adstipulatur *L.4. ff. ad Legem Juliam peculatus*: Licet enim sacrilegii capite puniantur ex *L.12 ff. eod. tit.*, pœnam tamen sacrilegii debebit Proconsul pro qualitate personæ, pro rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus vel severius, vel clementius statuere, ex dicta *L.4. ff. allegato titulo*. Consideratum præterea fuit, licere ei, qui extra ordinem de crimine cognoscit, quam vult sententiam ferre vel graviorem, vel leviorem, ita tamen, ut in utroque modo moderationem non excedat, ut liquet ex *L. Hodie* 13. *ff. de pœnis*. Quæ quum ita sint, perpendit M. C. V. Deleg., pœnam a Regiis Pragmaticis Legibus tunc latis, quum uberrima hoc in Regno erat hominum seges, in monetas nefarie sævientium, quod nostris temporibus perraro accidit, in eos statutam, qui nummos aureos, vel argenteos raserint, nec Hieronymo Palmieri, nec Annæ Pepe esse irrogandam. Enim vero, quod ad Hieronymum attinet, consideravit M. C. eundem & nimia paupertate, qua sua cum

cum familia premebatur, & hebetudine, quam ex diutino accepit morbo, & matris suasionibus deliquisse, nec tanti criminis gravitatem ob ignorantiam, & rusticitatem intellexisse, propterea que levius peccasse: Quam obrem dici optime potest, casum, quo de agitur, nec legum dispositionibus, nec Legumlatorum voluntate comprehendi, & ipsum Hieronymum, hominem quidem imperitum & rusticum, Juris civilis ignorantia quodammodo excusari, *L. 7. ff. de jurisdict. omn. Jud. §. Doli mali*, *L 2. ff. si quis in jus vocatus non ierit*, & *L. 3. §. 22. ff. ad S.C. Silanianum*, cujus verba sunt hæc: *Et sciens, non tamen dolo malo aperuerit (testamentum) æque non tenebitur, si forte per imperitiam, vel rusticitatem ignarus Edicti Prætoris, vel S. C. aperuerit.*

Quod vero ad Annam attinet (præterquam quod hæc istiusmodi pessimæ artis auctor non fuit perinde atque filius, & Magdalenæ auctoritate freta deliquit docentis, nummos radere peccatum non esse, neque delictum) M. C. V. Del. animadvertit, mulieribus leges succurrere, ut mitius cum ipsis agatur ob infirmitatem cum corporis, tum animi, atque consilii, *L. 38. §. 1. & 2. L. 39. §. mulierem ff. ad L. Jul. de adulteriis*, *L. 5. §. ad filias C. ad L. Jul. Majest.*, & *dict. L. 4. ff. ad L. Jul. pecul.*, easdemque tunc Legum severitate plectendas, quum prætergressæ sexus imbecillitatem, aliquid crudele, vel immane admiserint. Animadvertit tandem eadem M.C.V. ab Annæ, & Hieronymi crimine vexatum publicum non fuisse commercium.

Relatis itaque quum facti, tum personarum circumstantiis intrinsecis, allatisque Legibus diligenter consideratis, perpensaque *L. Respiciendum* 11. *ff. de pœnis*, ac *L. Interpretatione* 42. *ff. eod. tit.*, M. C. V. Deleg. tam cum Hieronymo Palmieri, quam cum Anna Pepe ejus matre lenius agendum censuit, quum interpretatione Legum pœnæ molliendæ sint potius, quam asperandæ, *dict.*

dict. L. Interpretatione 42.; respiciendumque sit Judicanti, ne quid durius, aut remissius, quam causa deposcit, constituatur, *cit. L. Respiciendum* 11. *ff. de pœnis*. Quapropter, me referente, & auditis Dominis Regii Fisci, & Pauperum Patronis, ac Advocato Hieronymi Palmieri, hujusmodi tulit decretum:

Rubricatus Hieronymus Palmieri remiget vita durante; Rubricata vero Anna Pepe detrudatur in domum pœnitentiæ ejus vita durante, etiam prævia fustigatione amborum.

D' Alessandro Act. Mag. Joannes Labella Scriba.

In causa Notarii Vincentii Montella, Joannis Mariæ de Laurentiis, & Andreæ Montella, principalium inquisitorum, & cum mandato per hanc Civitatem detentorum, ob duas scripturas a dicto Notario falso confectas in damnum Januarii Balante Statoris M.C.V. Die 12. Aprilis 1776.
Referente Dom. Reg. Cons. D. Cæsare Ruggiero Aulæ Præfecto.

Andreas de Fraja civis Puteolanus mense Martio anni 1771. cessit Francisco Purpo creditum, quod sibi Gratia de Costanzo debebat. Mense autem Majo ejusdem anni Notarius Vincentius Montella, eodem Andrea suadente, duas exaravit scripturas, quarum prima finxit, Franciscum Purpo declarasse, ab Andrea de Fraja non quidem vere, sed simulate creditum, quo de diximus, cessum sibi fuisse; altera vero eumdem Franciscum manifestasse ducatos plus minus sex a se fuisse solutos Januario Balante, & Josepho Serio Apparitoribus M.C.V., quos miserat Puteolos, ut de decreto, quo M.C. jusserat Gratiam solvere ipsi Francisco creditum, quod Andreæ debebat, certiorem fecissent. atque huic scripturæ testes se se subscripsere Joannes Maria de Laurentiis, & Andreas Montella Notarii filius. Hujusmodi ergo scripturis falso confectis, petiit Andreas de Fraja, ut Januarius Balante non dimitteretur e carcere, quo tunc tem-

Cum de privatis falsitatibus agatur, quæ leve damnum attulerunt, quæque præsumptionibus tantum constant, ad lenitatem pronior est Magistratus.

temporis continebatur, quippe qui pecuniam illam injuste exegerat a Francisco. Interea rediit Neapolim a Messana Franciscus, qui auditis Januarii querelis, obstupuit, statimque, Januario petente, testatus fuit, scripturas, quarum mentionem fecimus, ipso omnino inscio, immo & absente, fuisse exaratas, etenim postridie Idus Martias, quo scilicet tempore declaratio illa, de qua secondo loco diximus, Neapoli confecta fuit, Franciscus, ut ex legitimis argumentis colligitur, morabatur Salerni, Messanam profecturus; ad quam pervenit XV. Kal. Aprilis: testatus itidem Franciscus fuit, a se carolenos dumtaxat quatuor supra viginti Januario Balante pro mercede datos: Verum Januarius, ut dimitteretur e carcere, carolenos sex & triginta solvit Andreæ, fuitque jussu Spectabilis Domini Regentis M.C. aliquo tempore privatus Statoris officio; quamobrem deinde tam Andream de Fraja, quam Notarium, & testes de crimine falsi insimulavit, quos omnes M.C.V. jussit non discedere ab hac Civitate, a qua deinde aufugit Andreas, qui etiam nunc abest. Instructo tandem processu, M.C.V. quoniam non quidem de publicis, sed de privatis tantum falsitatibus agebatur, quæ ceteroquin leve damnum Januario Balante attulerunt, Reos, excepto Notario, diutino, quod passi fuere, mandato sat punitos cognovit, tum quia pro mensura cujusque delicti animadvertendum est in eos, qui crimina committunt, argumento *L. Divus* 31. *Dig. ad L. Cornel. de falsis*, & in levioribus causis proniores ad lenitatem Judices esse debent, *L. Respiciendum* 11. *Dig. de pœnis*; tum quia quæ superius relata sunt, non quidem ex clarissimis probationibus, sed ex præsumptionibus dumtaxat habentur: Quapropter, perpensa *L. ult. Cod. de probat.*, Fisco, & Advocatis Querelantis, & Reorum auditis, istiusmodi ferre censuit, me referente, decretum:

Mandatum, quod passi sunt rubricati Notarius Vincentius Mon-

Montella, Joannes Maria de Laurentiis, & Andreas Montella, cedat eis in pœnam: verum dictus Notarius Vincentius Montella non exerceat, donec aliter fuerit provisum per hanc eandem M. C.

Joseph Califano Scriba.

Die 14. *Maji* 1776. *Referente Domino Judice D. Paschale Perelli.*

Cum nonnisi indicia, & argumenta concurrant, eorum vi perpensa, pœnam Judex arbitratur.

HOra prima noctis diei 23. Septembris elapsi anni 1775. cibum capiente Sabato Raito Terræ Viggiani in Lucaniæ Regione, pulsatum fuit ostium ejus domus. Ille, ex quo hospites aliquot opperiebatur, Carolo ejus filio mandavit, ut ostium reseraret. Parendo filius mandato patris, confestim ostium aperuit, & non sine ejus parvo terrore, illic vidit quatuor personas mentitis vestibus indutas, ac pileis expansis, sclopis stipatas; & clamitando, *heu pater personæ armatæ adsunt*, conatus fuit iterum aditum claudere: at increpato a Francisco Cestaro, uno ex quatuor, qui solummodo fuit a Carolo cognitus, interminando illi necem, & sui patris; tam ipse Franciscus, quam altera ex dictis personis vim facientes intraverunt in salam, & deinde in cameram, in qua cibus sumebatur, & viso præfato Sabato, duos scloporum ictus in eum injecerunt, quibus plurimis sauciatus vulneribus, statim exanimatus est. Nece patrata, rediere sicarii ad alias duas personas in limine manentes, cum quibus unitim iter cœperunt versus viam nuncupatam *la Valle*, ducentem ad Ven. Conventum PP. Observantium S. Francisci.

Hoc pro crimine, & pro homicidio Paschalis Pizzi, aliisque atrocissimis per Franciscum Cestaro admissis, fuit hic, una cum patre, vinculis mancipatus mane diei 4. Octobris ejusdem anni; quo tempore illico fugam arripuerunt tam Paschalis Provenzale, quam Thomas Setaro,

& Dominicus Marsicano, tametsi ulla non fuerit orta fama contra eosdem de cæde Sabati Raito.

Capta igitur informatione ordine Regiæ Materanæ Audientiæ de dicto homicidio, pro quo insimulati fuerunt antedicti Franciscus Cestaro, Thomas Setaro, Paschalis Provenzale, & Dominicus Marsicano, constitit cædem hanc fuisse admissam a nuncupatis ad ultionem, ex causa respectu Francisci Cestaro, & Thomæ Setaro, quod interemptus contra eosdem testimonium dixerat penes Subalternum inquisitorem nonnullorum furtorum per ipsos commissorum in via publica, & respectu Paschalis Provenzale, & Dominici Marsicano, quia ipsimet cum mensibus aliquot ante Sabati Raito internecionem pro furto in via publica fuissent incarcerati, arbitrati fuerunt cæsum Sabatum operam præbuisse eorum carcerationi, & deinde inquisitioni, ut fere cuncti testes fiscales sunt testati, rem publicam esse in Terra Viggiani. Constitit ulterius; enunciatas quatuor personas, modo quo supra indutas, ac sclopis armatas, visas fuisse prope locum criminis, & paulo ante homicidium, exinde ex ædibus perempti statim post facinus, & proficisci per viam *della Valle*, a testibus quamvis non recognitas. Dicto tamen Josephi Ciliberti, qui eadem hora vidit easdem personas in narrata via *della Valle*, liquet, illas fuisse Franciscum Cestaro, Thomam Setaro, Paschalem Provenzale, ac Dominicum Marsicano. Constitit pariter de fuga antedictorum, continuo post carcerationem Francisci Cestaro, & Innocentii Cestaro ejus patris a Patria, sine ullo eorum reditu ad eandem. Constitit tandem ex publico judicio civium Viggianorum, sicarios Sabati Raito fuisse Franciscum Cestaro, Thomam Setaro, Paschalem Provenzale, & Dominicum Marsicano, relatis ex causis, ipsosque esse improbos & diffamatos, noctequе antecedente vim intulisse domui Rufinæ Modena, interimendi causa Joannem Luise, & ædi-

ædibus Annæ Dentice, causa rapiendi ab eis machæram, sive gladium Josephi Dolce ejus nepotis, quam illic adesse ab ipsis credebatur; quanquam tamen ad sonum vocum tantummodo fuerunt ab Anna Dentice agniti Franciscus Cestaro, Thomas Setaro, & Paschalis Provenzale.

Procedente hac M. C. vigore electionis Fori viduarum peremptorum, sub die 4. Octobris præteriti anni intus carceres ipsius ultro se præsentavit rubricatus Paschalis Provenzale, postulando uti innoxium liberari. Positus in cursu judicii, interrogatusque super criminibus, totum negavit, etiam in interrogatione ipsi facta cum particula *Monitus*. Datis dein defensionibus, illis uti renuit; sed dumtaxat exhibuit documentum Regiæ Audientiæ Materæ, ex quo apparet Josephum Giliberti delatum fuisse in dicta Regia Audientia de furto in via publica in persona Vincentii d'Egidio, insimul cum Hieronymo di Notar Nicola de Cunto, & Vincentio Galgano, pro quo idem Vincentius fuit admissus ad fruitionem Regalis Indultus, contra vero Josephum Giliberti, & Vincentium di Notar Nicola de Cunto fuerunt reservata jura Regio Fisco.

In expeditione causæ fuit per Advocatum Paschalis Provenzale flagitatum, eundem esse, uti insontem, liberandum, aut saltem vadimonio dimittendum. Dominus Fisci Patronus e contra opponendo se hujusmodi petitis institit ipsummet Paschalem subjici quæstioni ad eruendam veritatem ex ore proprio.

M. C. V. Del. præfatis Advocato rei, & Domino Fisci Patrono in Aula plenius auditis, toto studio re perpensa, rata fuit, etsi in præsenti causa desiderentur probationes juxta *L. Sciant cuncti C. de probat.*, adesse nihilominus indicia, & argumenta, ex quibus inferri possit, Paschalem Provenzale perpetrati facinoris reum esse; Non levis ponderis esse indicium fugæ post carceratio-

nem Francisci Cestaro , dicti Paschalis , & sociorum, maxime nullo persequente, nec etiam a fama publica, cum liqueat ex actis fiscalibus, ante carcerationem Francisci Cestaro , & ejus patris , nullum ortum fuisse rumorem, sive famam nedum contra Paschalem Provenzale, sed nec etiam contra socios Setaro , & Marsicano , cum hæc oriri cœpisset post illorum absentiam, ac proinde putandum est , eos fugisse cruciante conscientia flagitii, non autem alia ex causa. Fugam hanc adjutam indicio levitatis vitæ tam Paschalis, quam sociorum , causa cædis , nec non dicto testis Josephi Giliberto, qui sicarios vidit paulo post homicidium, prope locum in quo admissum fuit; judicio civium Viggianorum de cæde Sabati Raito commissa per supra enunciatos Cestaro, Setaro, Provenzale, & Marsicano, ambigendum non est nimium Paschalem Provenzale urgere, & vexare de citata nece, eo vel maxime, quod usque adhuc alius non est ortus rumor, qui dictum flagitium aliis attribuat.

His itaque positis , M. C. recedendo ab instantia Regii Fisci censuit rubricatum Paschalem esse extra ordinem plectendum ; ac proinde arbitrando indicia ex vetusto recepto usu sic judicandi vigore *L.* 33. 35. *&* 38. *ff. de legibus, Senatus Consultis, & longa consuetudine*, ac ex argumentis Regiarum Pragmaticarum 11. sub titulo *de emptione, & vendit. §. 6. 7. de Aleatoribus, & Lusoribus §. 7. & 44. de Monetis §. 25.* jussit atque mandavit, *illum esse transmittendum ad Regias triremes per quinquennium, & fieri relationem S. M. pro executione Regalis Diplomatis die* 11. *Novembris elapsi anni* 1775.

Luccia Act. Mag. Memmi Scriba.

RE-

REGIÆ CAMERÆ SUMMARIÆ

D E C R E T A.

In causa Ill. Principis D. Urbani Barbarino cum Universitatibus Marerii, Gamagna, & Podispopenisci. Die 20. Septembris 1774.

Visis actis in sex voluminibus, & referente D. Januario de Ferdinando Praesidente Regiae Camerae, & Commissario.

QUum superiori sæculo feuda Pompeji Columnæ Principis Gallicani, in Aprutiis sita, ob ejus contumaciam sequestro subdita fuissent, Regia Camera, Fisco instante, eorundem appretium demandavit Tabulario Antonio Tango, qui illud perfecit anno 1651. *fol.* 1. *proc. Appretii*. Secuta deinde morte dicti Pompeji, absque successoribus in gradu feudali, redierunt ad Regiam Curiam feuda prædicta, & declarata fuerunt aperta & devoluta in beneficium Regiæ Curiæ, virtute Capituli *Dudum sive ex præsuntuosæ &c.*, eaque emit Maffæus Barbarinus Princeps Prænestinorum anno 1662., juxta appretium dicti Tabularii Tango, *dict. fol.* 1. & 79. *proc. Appretii*, & *fol.* 4. *proc. Privilegii emptionis*.

Jus, quod feudatarius repetit ex contractu cum Regia Curia, fervatur in possessorio judicio contra Universitatem; præsertim si contracta, quæ opponitur, possessio infringitur actis quibusdam, possessionem excludentibus. In juris autem exercitio ea constituere Judex debet, quæ & naturalis, & civilis ratio suadet.

Inter hæc feuda empta a Barbarino numerabatur quoddam feudum rusticum *Rascinum* appellatum, situm intra fines Comitatus vulgo *di Cicoli*, aliarumque finitimarum Universitatum, illudque proprie complectebatur territorium veteris Rascini, quod erat unum ex Castris Comitatus Aquilani, & unum ex illis, quæ sub Imperatore & Rege nostro Carolo V. avulsa fuere a Civitate Aquilæ, & nonnullis militibus emeritis concessa, vel vendita sub feudali servitio, & cuidam militi nuncupato Ferdinando Cornesio primum infeudatum fuit dictum feudum Rascini, & ab eo deinde pervenit ad Martium Columnam, qui utilis Dominus erat jam antea ab anno 1532. integri Comitatus dicti *di Cicoli*, ei venditi a Constantia Mareri, *fol.* 342. *proc. secundi volum.*

In

In appretio feudorum per Tabularium Tango peracto cum de feudo rustico Rascini sermo instituitur, ejus fines descripti, & jura Baronis explicata leguntur in hæc verba: *Detta Montagna così descritta, e confinata si possiede per detto Ill. Principe, conforme si è posseduta dalli qqu. Ill. Marzio, e Pierfrancesco Colonna Duchi di Zagarola, affittando l'erbaggio di quella, facendone pascolare le capre sue*: & alibi: *Possiede anche in detta Montagna l'affitto della Guardia*: & alibi: *La Baronal Corte ci ha lo dominio di farci pascere dopo la raccolta delle vettovaglie, e dopo la falciatura del fieno etiam nelli territorj, che si possiedono dalla Chiesa esistente in detta Montagna*: & alibi: *Avendoci considerato la capacità, e sito, e rendita, che se ne potria percepire, e che detta Montagna sia feudo rustico, per non esservi Vassallaggio, la giudicamo che sia corpo feudale, fol.79. proc. Appret.*

Juxta hoc appretium stipulatum fuit instrumentum emptionis & venditionis cum Comite Pinnerandæ tunc Prorege, & super venditione cautum fuit pro evictione cum Regio Fisco, *fol.34. proc. Privil.*

Ab eo tempore usque ad annum 1755. Maffæus Barbarinus emptor, ejusque successores usi semper fuere suo jure, & præsertim in locando herbas agrestes in toto territorio feudi Rascini, etiam in territoriis particularium, sectis segetibus, & recollecto fœno, & non pauci ex civibus Universitatum Mareii, Gamagnæ, & Podiipoponisci, cum quibus lis est, conduxerunt herbas prædictas, *fol.252.&c. proc. 2.vol.* Anno vero 1755. quidam Paulus Scialaret civis Terræ Mererii primum ausus fuit immittere tum animalia sua, tum nonnullorum suorum sociorum, & etiam sues in pascua territoriorum Montaneæ, sive feudi Rascini, absque solutione fidæ, *fol.9. 1.vol.* Hinc querelæ pro parte Baronis propositæ in Regia Provinciali Audientia, ut purgaretur attentatum, & punirentur delinquentes; Et Procuratores ejusdem

dem adierunt ſtatim Regiam Cameram pro impetrandis ordinibus: quod factum fuit; & unus ex Auditoribus dictæ Aquilanæ Audientiæ ſe contulit ad locum, & omnia reſtituit ad priſtinum, expellendo animalia Pauli Scialaret, ejuſque ſociorum, poſtquam de non turbata unquam poſſeſſione Baronis per ſcripturas, & teſtes plene probatum fuit; & Banda pœnalia edidit, ne quis alius auderet in poſterum immittere animalia in paſcua prædicta, abſque licentia Baronis; & pro pœna eorum, qui jam deliquerant, inſtituta eſt quæſtio criminalis in eadem Regia Audientia, *dict. fol.* 9. Interea pro parte Univerſitatum Marerii, Gamagnæ, & Podiipoponiſci petitum fuit in Regia Camera, ne interdiceretur eiſdem poteſtas paſcua ſumendi omni tempore, & ubique in Montanea feudi Raſcini, ex quo proprium earum Demanium erat. Ex adverſo Procuratores Baronis nitebantur appretio Tabularii Tango, inſtrumento emptionis juxta illud appretium e manu Regiæ Curiæ, & evictione a Regio Fiſco promiſſa; & per Regiam Cameram, ejuſque Commiſſarium anno 1756. decretum fuit, ſervari ſolitum antea practicatum, verificandum, partibus auditis, & contra formam illius nihil innovari, & hoc citra præjudicium informationis captæ per Regiam Audientiam, *fol.* 30.

Pro executione hujus decreti capta fuit in Regia Audientia informatio de ſolito, & per partes articuli producti fuere, & uti ſolet, utraque pars probare ſtuduit, quæ in ſuis articulis ſcripta reperiebantur; donec eadem Regia Audientia inſtructis duobus voluminibus ſuper examine hujus ſoliti, anno 1757. menſe Junii decretum tulit hujuſmodi: *Servetur ſolitum, pro cujus effectu Cives Univerſitatum Marerii, Gamagnæ, & Podiipoponiſci manuteneantur in poſſeſſione paſcendi cum eorum animalibus cujuſcumque ſpeciei in territoriis tantum propriis cultis Civium Univerſitatum prædictarum*

 in

in Montanea Rafcini fiftentibus, fectis fegetibus; & Ill. Princeps Prænestinorum manuteneatur in quasi possessione fidandi in dictis territoriis cultis etiam fectis fegetibus. Respectu vero territoriorum incultorum in enunciata Montanea fiftentium fe abstineant Cives prædicti ab introducendo eorum animalia ad pascua, fub pœna ducatorum mille in beneficium Regii Fisci, donec aliter fuerit provisum per Regiam Cameram; verum Cives prædicti manuteneantur in quasi possessione introducendi in dicta Montanea omnia animalia aratoria, & pro usu culturæ, & centum animalia bovina indomita, fervata forma foliti, fol. 140. *proc. tertii vol.*

Neutra pars acquievit huic decreto Regiæ Audientiæ: Non Procuratores Baronis, ex quo cum dominium herbæ in quovis territorio, fito in feudo empto a Regia Curia, effet penes Baronem, virtute contractus initi cum Regia Curia, & evictionis promissæ a Regio Fisco, facta erat potestas Civibus Universitatum Marerii, Gamagnæ, & Podiipoponifci pascua fumendi cum eorum animalibus cujuscumque speciei in territoriis propriis, fectis fegetibus, & infuper immittendi centum animalia indomita. Non eædem Universitates, ex quo vetitum fuit civibus earundem immittere eorum animalia in territoria inculta Montaneæ feudi Rafcini; ac propterea utraque pars provocavit ad Regiam Cameram, *fol.* 39. *&* 43. 1.*vol.*

In Regia Camera per aliquot annos factum eft altum filentium; deinde instante Barone, nam fæpe turbata erat ejus possessio, causa cognofci cœpta eft; & pluries Advocati, & Defensores auditi funt in Aula. Pro parte Baronis dominium & possessio virtute contractus emptionis initi cum Regia Curia, instrumenta locationis cum iifdem Civibus Universitatum contendentium; Relevia foluta Regiæ Curiæ pro fida herbarum, inter cetera argumenta adstruebantur. Pro parte autem Universitatum

tum longa & immemorialis possessio pascua sumendi indiscriminatim in dicta Montanea, cum animalibus cujuscumque speciei, uti in proprio demanio, pro quo etiam taxati cives in propria Patria ad solvendum onera universalia. Proferebatur insuper, emendatum fuisse apprettium Tabularii Tango de anno 1651. cum alio appretio posteriore Ingegnerii Donati Antonii Casaro de anno 1663., in quo Montanea Rascini descripta, & æstimata fuit uti burgensatica; aliaque nonnulla, uti videre est in actis.

In Regia Camera re bene perpensa, uti par erat, ex quo agitur de judicio possessorio, visum est conservandum esse Baronem in jure fidandi in tota Montanea, quod proficiscitur ex ipso contractu emptionis e manu Curiæ, & ab ipsa evictione promissa a Regio Fisco, *L. 11. & per totum D. de act. empti, & vend., & toto tit. Dig. & Cod. de evict.* Neque audiendas esse in hoc judicio possessionis Universitates, adstruentes Montaneam, & feudum Rascini esse proprium demanium; nam præterquamquod habent Universitates prædictæ, & unaquæque earum Demanium proprium, cum feudum Rascini fuerit unum ex Castris Comitatus Aquilani, videtur rationi absonum, illud fuisse Demanium Universitatum Comitatus Cicoli: neque visum est Regiæ Cameræ emendationem appretii factam ab Ingegnerio Casaro clare pertinuisse ad feudum Rascini; nam instante alia Universitate, vulgo dicta *Petrella*, illud peractum fuit, & aliam ob causam. Ita quoque longam possessionem non prodesse Universitatibus, cum instrumenta locationis, & conductionis cum nonnullis earum civibus producta fuerint ab ipso Barone, & qui ex conducto utitur aliqua re, non dicitur possidere, *L. 6. D. de Precario*: ibi: *Nam & fructuarius, & colonus, & inquilinus sunt in prædio, & tamen non possident*. Visum tamen fuit Regiæ Cameræ succurrendum esse omni naturali ratione,

& civili Civibus possessoribus territoriorum in dicta Montanea sistentium, ut omnia animalia necessaria pro cultura, & usu coloniæ immittere in eadem territoria propria culta libere possint, absque solutione fidæ, salvo tamen jure fidandi Baroni in iisdem territoriis, sectis segetibus, & recollecto fæno, & vetita immissione animalium indomitorum ipsis civibus, quibus etiam visum est concedere prælationem, si voluerint in pascuis sumendis, cum solutione fidæ pro justo pretio tum ratione vicinitatis, tum quia ejusdem utilis Domini sunt vassalli. Et tandem de more super omnibus deductis ab utraque parte visum est impartiendum esse terminum ordinarium, ut aperiretur judicium plenarium, in quo utraque pars experiri possit sua jura. Hinc, audito Domino Fisci Patrono Regalis Patrimonii, per Regiam Cameram sequens latum est decretum:

Suspenso decreto Regiæ Audientiæ Aprutii Ulterioris diei 14. Junii 1757. fol. 140. proc. tertii vol., Ill. Princeps D. Urbanus Barbarino manuteneatur in possessione seu quasi fidandi in toto territorio sui feudi Rascini etiam appatronato, sectis segetibus, & recollecto fæno in territoriis cultis; Et liceat & licitum sit Civibus Universitatum Marerii, Gamagnæ, & Podiipoponisci possessoribus territoriorum sitorum intra feudum prædictum, immittere sua animalia pro usu coloniæ, & pro usu culturæ in eadem eorum territoria; Et tam ipsi quam alii naturales prædictarum Universitatum Marerii, Gamagnæ, & Podiipoponisci se abstineant ab immittendo animalia in dictum feudum, & in loca inculta ejusdem sub pœna ducatorum 500. per quemlibet; Verum si Naturales prædictarum Universitatum voluerint præferri in pascuis sumendis cum solutione fidæ, præferantur pro justo pretio. Et respectu deductorum hinc inde per ambas partes, intra quatuor dies audiantur partes.

Dominicus Pappalardo Act.

In

In causa Christinæ, Annæ, Rosæ, Antoniæ, & Francisci Cacace filiorum qu. Joannis, cum Regio Fisco, Arrendatoribus Regiæ Dohanæ Neapolis, Plateæ majoris, Dohanarum Apuliæ, & Universitate Plani Surrenti super Civilitate Neapolitana, qua gaudere prætendunt. Die 16. Januarii 1775.
Referente Dom. Præsidente Decano D. Dominico Pensabene.

Qui in hac Civitate ortum habet, Civilitate Neapolitana gaudet: quod tamen respectu fœminarum intelligendum est, donec nupserint.

CHristina, aliæque de Cacace, filiæ qu. Joannis, petierunt, utpote ortæ in hac Civitate, gaudere Civilitate Neapolitana, *fol.* 13. Cognitione præmissa, Regia Camera, audito Regio Fisco, decrevit: *Christina, Anna, Rosa, Antonia, & Franciscus Cacace, filii ætate majores qu. Joannis, gaudeant Civilitate Neapolitana in forma, uti orti in hac Civitate Neapolis, cum clausulis expressis, quod prædictæ Christina, Anna, Rosa, & Antonia gaudeant donec nupserint, juxta Textum in L. Origine C. de municip. & origin., & in L. 1. C. de mulierib.; & servata forma Privilegiorum per retro Reges huic fidelissimæ Civitati concessorum, atque Decretorum generalium hujus Regiæ Cameræ; verum non gaudeant immunitate granorum sex pro qualibet uncia super Regia Dohana Neapolis, ejusque jurisdictione.*

Minutulo Act. Mag.

In causa Paschaelli de Feo Civitatis Vigiliarum cum Regio Fisco, magn. Gubernatoribus Regiarum Dohanarum Neapolis, Apuliæ, & Gabellæ Plateæ majoris hujus Civitatis, ac Universitate dictæ Civitatis Vigiliarum super immunitate, qua gaudere prætendit tamquam pater onustus duodecim filiorum & nepotum respective sub ejus Patria, & Avia potestate sistentium. Die 20. Januarii 1775.
Referente D. Dominico Figliola Præsidente, & Commiss.

Qui sub patria potestate filios, nepotesque ex filiis numero duodecim habet, immunitate gaudet.

PEtiit Pascharellus de Feo immunitatis privilegium, quippe qui decem filios habet, duosque ex filiis nepotes, *fol.* 1.; cumque ex nuptiarum fide, item ex fidibus baptismarum, & testium depositionibus constet existentia dictorum filiorum, & nepotum, *fol.* 3. *&c.*, Regia Camera,

mera, audito Domino Fisci Patrono, decrevit: *Paschaellus de Feo Civitatis Vigiliarum gaudeat immunitatibus in forma, uti pater onustus habens decem filios, duosque ex filiis nepotes legitimos & naturales, juxta textum in L. Nepotes, & in L. fin. Cod. de his, qui numero liber. se excusent; & servata forma Decretorum generalium hujus Regiæ Cameræ, & signanter 439., cum clausulis expressis, quod gaudeat pro usu suo, & familiæ tantum, & non commercii causa, & excepta pro nunc hac fidelissima Civitate Neapolis, donec aliter fuerit provisum per Regalem Cameram S. Claræ.*

Morricone Act.

In causa Universitatis Cantalicis cum Universitate Civitatis Ducalis. Die 11. Februarii 1775.
Referente Dom. Præsidente D. Cæsare Coppola Commiss.

Communio inter Universitates absque Regio assensu non consistit.
A communione abire cuique Universitati semper licet.
Cum debendi causa finitur, obligatio ipsa extinguitur.

Universitas Terræ Cantalicis ait, jus non esse Universitati Civitatis Ducalis ab ea exigere annuos ducatos 101. & ass. 80., descriptos in statu discusso ipsius Universitatis Cantalicis, sub nomine *Agabelloti*, seu annuæ transactionis; eo quod instrumenta transactionis initæ anno 1630. & 1735., ex quibus prædictam annuam præstationem petit Universitas Civitatis Ducalis, aut ab initio nulla, aut saltem ex post facto irrita fuere: idque ob eam causam nempe, quia transactiones illæ ab Administratoribus tantum, & Deputatis dictarum Universitatum initæ, neque Regis assensu, neque Universitatis ratihabitione confirmatæ videntur; & quod magis est, quia communio, seu promiscuitas inter ipsas Universitates (quæ causam transactioni dedit) si aliquando extitit, nunc temporis soluta reperitur; & demum quia onera, pro quibus fuit illa annua præstatio promissa, partim sunt extincta, partim tamquam abusus, sunt ab ipsa Regia Camera prohibenda, partim denique sunt pro-

propria, & peculiaria ipsius Universitatis Civitatis Ducalis, *fol.* 1. & 75. Excepit Universitas Civitatis Ducalis, *fol.* 84., nulla ex causa infringi posse robur prædictarum transactionum, quæ fulciuntur quasi possessione plusquam centenaria, ac proinde manuteneri debere in exactione illius præstationis. Mense Majo anni 1758. ejus decreto Regia Camera pronunciavit, manutenendam esse Universitatem Civitatis Ducalis in exactione dictorum ducatorum 101. & aff. 80., & super deductis & prætensis per Universitatem Cantalicis terminum ordinarium impartiendum esse, *fol.* 88. Productum hinc est instrumentum conventionis initæ anno 1630. inter Administratores, & Deputatos prædictarum Universitatum, cum quo firmata prius communione inter ipsas Universitates tam bonorum & proventuum, quam onerum & expensarum, ad tollenda jurgia ac lites sæpe exortas super majori, vel minori quantitate, statuitur in singulos annos ab Universitate Cantalicis solvi debere Universitati Civitatis Ducalis pro rata onerum communium ducatos 192. & aff. 50. *fol.* 6. Necnon aliud instrumentum conventionis anni 1735., cum quo dicta annua præstatio redacta fuit ad annuos ducatos 101. & aff. 80. *fol.* 26. Status autem Universitatis Cantalicis, in tertia Aula Regiæ Cameræ discussus, ostendit, dictam Universitatem sejunctim ab Universitate Civitatis Ducalis taxatam esse a Regia Curia pro oneribus fiscalibus, juxta numerum ejus foculariorum, & sejunctim etiam subire onus expensarum communium, *fol.* 2. Patet insuper, decreto Regiæ Cameræ diei 2. Junii 1758. *fol.* 182. cautum fuisse, quod Universitas Terræ Cantalicis utatur jure suo in exactione bonatenentiæ a Civibus Civitatis Ducalis, bona possidentibus in ejus Territorio. Postremo & illud inspicitur, quod publico colloquio Cives Terræ Cantalicis profitentur, nullam velle communionem cum Universitate Civitatis Ducalis, *fol.* 212.

Cum

Cum ex allegatis pateat, primo, communionem, vel promiscuitatem inter prædictas Universitates, si aliquando extitit, sine Regio assensu initam fuisse, proindeque nullam ab initio censendam esse ex Capitulo *Pondus æquum cautione*: secundo, prædicta duo instrumenta transactionum, quibus illæ annuæ præstationes stipulatæ fuerunt, neque Universitatis ratihabitione, neque Regio assensu, aut Magistratus decreto firmata fuisse, uti expediebat, argumento *L.* 3. *Cod. de vendendis rebus Civitatis*: tertio, causam illius annuæ præstationis fuisse onerum, & proventuum communionem inter ipsas Universitates initam, quæ cum omnino dissoluta fuerit, causa debendi finita est, & ex *L.* 1. *ff. de condict. sine causa*, potest Universitas Cantalicis obligationem condicere: præterquam quod jus erat eidem Universitati ab inita communione abire, *cum nulla societatis in æternum coitio sit*, *L.* 71. *ff. pro socio*: imo *pactum*, *ne a societate abeatur*, *nullius roboris est*, *L. Si convenerit* 13. *ff. eod.* Hinc Regia Camera decrevit: *Non adesse communionem inter Universitates Civitatis Ducalis, & Terræ Cantalicis, ac proinde nulla habita ratione conventionum initarum inter easdem Universitates in annis* 1630. *&* 1736., *Universitatem Terræ Cantalicis absolvendam esse ab impetitis pro parte Universitatis Civitatis Ducalis: quapropter unaquæque Universitas contribuat separatim ad onera, ad quæ de jure tenetur. Neutram partem in expensis*.

Russo Act.

In

In causa magn. D. Dominici Castelli, viri magn. D. Cajetanæ de Filippo civis Neapolitanæ, commorantis in hac Civitate, cum Regio Fisco, & magn. Gubernatoribus Regiarum Dohanarum Neapolis, Apuliæ, & Gabellæ Plateæ majoris hujus Civitatis, ac Universitate Terræ Carbonis, super immunitate, qua gaudere prætendit Civilitatis Neapolitanæ, servata forma Regiæ Pragmaticæ, tamquam vir dictæ magn. D. Cajetanæ de Filippo Neapolitana, & possidens domos in hac Civitate. Die 30. Martii 1775.
Referente Ill. Marchione D. Angelo Granito Præs. Comm.

D. Dominicus Castelli instiit pro expeditione privilegii Civilitatis Neapolitanæ, servata forma Regiæ Pragmaticæ, *fol.* 1. Ad hanc rem exhibuit fidem Baptismatis D. Mariæ Cajetanæ de Filippo ejus uxoris, *fol.* 4., fides quoque matrimonii contracti per eundem *fol.* 3., matrimonii patris prædictæ D. Cajetanæ *fol.* 5., provenientiæ domus in actis deductæ *fol.*7., complateariorum de diuturno incolatu in hac Civitate Neapolis, *fol.* 6. Accedunt testium depositiones de nativitate dictæ D. Mariæ Cajetanæ in hac Civitate Neapolis, *fol.*17.*&c.* Hinc audito Regio Fisco, Regia Camera decrevit: *D. Dominicus Castelli Terræ Carbonis Provinciæ Basilicatæ gaudeat Civilitate Neapolitana in forma, vigore Regiæ Pragmaticæ, tamquam habens domum propriam, & uxorem Neapoli ortam, cum clausulis, quod gaudeat donec, & quousque Neapoli habitaverit, & quod teneatur singulis annis docere de incolatu, & quod translate forsan dominio domus careat immunitate; & quod non gaudeat immunitate granorum sex pro qualibet uncia super Regia Dohana Neapolis, ejusque jurisdictione.*

Qui domum Neapoli habet, uxoremque inibi natam, Civilitate Neapolitana gaudet, donec habitaverit.

Mericone Act.

In causa Immunitatis duodecim filiorum, & nepotum pro D. Marco Antonio Severini Civitatis Rutiliani Provinciæ Barii cum Regio Fisco, aliisque interesse habentibus, & Universitate dictæ Civitatis Rutiliani. Die 24. Maji 1775. Referente Ill. Marchione Præs. D. Xaverio Danza.

Cum duo, vel plures ex filiis, nepotibusque seorsim a patre, vel ab avo habitent, onusti patris privilegium dari nequit.

Visis testium depositionibus, ac ceteris actis, & audito Domino Fisci Patrono, Regia Camera decrevit: *Non esse locum petitis pro parte D. Marci Antonii Severini respectu petiti privilegii patris onusti*: Quinque enim ipsius nepotes seorsim ab eo habitant: ex Arresto autem 439. clare patet, filios, vel nepotes seorsim ab avo, & patre respective habitantes impedimento esse expeditioni privilegii; & quamvis dicatur in eodem Arresto, *excepto tamen aliquo seorsim habitante*, hæc verba respiciunt tantum unam personam, nec ultra extenduntur, alioquin fieret fraus Arresto prædicto, & præjudicium Universitati.

Tartaglione Act.

In causa Universitatis Civitatis Graniani cum magn. D. Nicolao Antonio la Mura, & aliis, ut ex actis. Die 19. Junii 1775. Referente Dom. Præs. D. Petro Antonio Torelli Commiss.

Sicut in venditione terrarum, castrorumque, ita etiam in particulari jurisdictionis alienatione præfertur Universitas, quæ infra annum ad demanium admitti petit.

VI sententiæ per Regiam Cameram latæ anno 1577. Universitas Graniani fuit admissa ad Regium Demanium, *fol.* 267., hinc instrumentum rogatum fuit sub die 11. Julii ejusdem anni, quo mediante Ill. Prorex hujus Regni, tamquam Procuraror Serenissimi Hispaniarum Regis, pro executione præcitatæ sententiæ, vendidit Civitatem prædictam, prius possessam per Joannam Navaleno, Universitati, & hominibus Graniani pro pretio ducatorum 25534., cum facultate alienandi corpora feudalia, pro causa in eodem instrumento expressa, *fol.* 265. Vendidit paullo post Universitas, impetraro Re-

Regio assensu die 5. Septembris anni 1578., Bajulationem, & Actuariatum D. Nicolao Berardino Sanseverino Principi Bisiniani, pretio ducatorum 14000; pacto adjecto, quod in casu alienationis dictorum corporum feudalium, & jurisdictionalium infra triennium, esset præferenda Universitas; triennio vero elapso, illorum distractio facienda esset personæ per eamdem Universitatem nominandæ, *fol.*288. Sub die 13. Februarii 1606. altero Regio assensu obtento, irrequisita tamen Universitate Graniani, Comes Cupersani uti Curator Principis Bisiniani eadem corpora vendidit D. Alphonso de Somma pro ducatis 11050. *fol.*295. Mortuo deinde possessore absque successoribus in gradu, eadem corpora, simul cum illis Dohanæ, & Siclæ, quæ devoluta Regia Camera declaravit, *fol.* 303., fuerunt a Regia Curia cessa, & in solutum data D. Carolo Pallavicino Castri Principi, cujus heres D. Agatha Pallavicino mense Junio anni 1708. hæc ipsa alienavit, vendiditque Carolo Apruzzese, *fol.*304.: hic vero alio instrumenro ea corpora cessit D. Annæ Capano Ducissæ Pescularum, & heredi supradictæ D. Agathæ mense Novembris 1711. *fol.* 306. Ducissa Pescularum anno 1723. de illis corporibus cum Regio Fisco transegit, persolutis duc. 1900. *fol.*15.; atque mense Majo anni 1757. ejus heres D. Angela Pisanelli illa eadem feudalia corpora vendidit D.Antonio la Mura pretio ducatorum 2630. *fol.* 138.

Institit die 17. Decembris 1757. Universitas Graniani pro prælatione in exposita postrema venditione corporum, & jurium feudalium, *fol.* 119. Exhibuit ad hanc rem publicam concionem habitam die 26. Aprilis 1761., qua Cives statuerunt petendam esse prælationem corporum venditorum prædicto la Mura, *fol.* 148. Termino ordinario in causa impartito, *fol.*157., ac probationibus ab utraque parte in eodem termino factis, *fol.*164. Fisco, & partibus auditis, Regia Camera pronunciavit: *Esse*

exequendum parlamentum initum per Universitatem Civitatis Graniani sub die 26. Aprilis 1761. fol.148., pro quo effectu eamdem præferri in venditione corporum, & jurium descriptorum in instrumento rogato die 7. Maji 1757. manu Notarii Josephi Marra de Neapoli fol.138.; ac proinde facto per dictam Universitatem deposito in publico Banco ducatorum 2630., eidem tradatur possessio dictorum corporum, & jurium, ad præsens detentorum per heredem qu. D. Antonii la Mura. Nihil in expensis.

Per *Pragm. 63. de officio Proc. Cæsar.* sancitum est, Universitates Regni esse admittendas ad petendum Regium Demanium in venditione terrarum, & castrorum infra annum a die captæ possessionis. Argumento hujus Pragmaticæ sanctionis hoc ipsum constanter fuit pariter observatum in venditione particularis jurisdictionis, nempe Civilis, Criminalis, Secundarum causarum, Siclæ, Portulaniæ &c., prout in præsenti casu; nam Universitatibus, sive cuilibet particulari civi jus hoc prælationis ad emptorum exclusionem passim fuit concessum: quod procedit etiam ex inveterata consuetudine sic judicandi, quia Universitas petens se ad hoc jus admitti, quodammodo videtur, quod ipse Rex uti Dominus directus principaliter tale jus ad sui beneficium exerceat, quamvis mediante pecunia Universitatis.

Concordat huic Pragmaticæ *Text. in L. 3. ff. si libertus ingenuus esse dicatur*, & *L. 2. C. de patribus, qui filios suos distraxerunt.*

Decurrente adhuc anno a Regia Pragmatica præscripto, nempe die 17. Decembris 1757. Universitas Graniani institit præferri in venditione corporum feudalium, & jurisdictionalium per D. Angelam Pisanelli venditorum D. Antonio la Mura vigore præcitati instrumenti diei 7. Maji ejusdem anni 1757., & hujusmodi petitioni Regia Camera deferendum censuit.

Cajetanus Lucente Act.

In

In causa Universitatis Terræ Cannæ Provinciæ Calabriæ Citerioris cum D. Philippo Andrea, & D. Roccho Albisinni, & Ill. Marchione Villænovæ. Die 7. Julii 1775.
Referente Dom. Præs. D. Petro Antonio Torelli.

Prælatio, quæ ex Jure Patrio Universitatibus conceditur in feudorum venditione, ad longi quoque temporis locationem extenditur; locum vero non habet in locatione, intra decennium finitura, quæ nec jurisdictionem continet.

INstrumento rogato sub die 29. Julii 1773. Ill. Marchio Villænovæ D. Joannes Baptista Ossorio y Figueroa locavit ad septennium D. Philippo, & D. Rocco Albisinni redditus tantum feudorum Nucaræ, & Cannæ, *fol.* 9. Paullo post, mense scilicet Novembris ejusdem anni, publica concione habita, statuerunt Cives Terræ Cannæ, prælationem Universitatis nomine petendam esse in expressa locatione, *fol.* 5., prout revera petita fuit insequenti mense Decembris, *fol.* 1. Obtento autem solito decreto Regalis Cameræ S. Claræ, *fol.* 31., Procurator Universitatis Cannæ institit pro interpositione decreti *Quod expedit*; qua de re termino summario impartito, *fol.* 32., probationes hinc inde factæ sunt, *fol.* 52. *&c.*, quibus inspectis, & omnibus actis, ac audito Domino Fisci Patrono Regalis patrimonii, Regia Camera decrevit: *Non esse locum petito decreto Quod expedit*. Ratio decidendi fuit, quia locatio feudorum facta ab Ill. Marchione Villænovæ prædictis fratribus de Albisinno, comprehendit tantum fructus, & redditus eorundem, non vero jurisdictionem, quæ est penes dictum Ill. Possessorem, ut patet ex actis. Per Pragmaticam sanctionem 63. *de offic. Proc. Cæsar.* competit prælatio Universitati in venditione feudi; & argumento istius Pragmaticæ, fuit tale beneficium prælationis extensum ad locationes pariter feudorum ad longum tempus peractas, saltem per decem annos; pro locatione vero ad breve tempus, & absque jurisdictione, sicuti in casu, de quo agitur, nullimode competit Universitati jus prælationis: quod & exemplo rerum judicatarum comprobatur.

Insu-

Insuper Universitas Cannæ est repellenda a dicta petitione, propter lites ab eadem motas contra Ill. Marchionem super nonnullis corporibus ejusdem feudi, uti constat ex documentis in actis productis; ac etiam ratione individuitatis contractus; simul enim fuerunt locati redditus, & fructus duorum feudorum, Cannæ scilicet, & Nucaræ; prælationem autem petiit tantum Universitas Cannæ in locatione feudi illius terræ, nulla petitione facta ab Universitate Nucaræ.

Demum nulla utilitas dignoscitur pro dicta Universitate Cannæ; imo præsumendum, instantiam prælationis fuisse propositam impellentibus aliquibus ditioribus civibus dictæ Terræ pro eorum commodo & utilitate; unde merito Regia Camera decrevit, non esse deferendum hujusmodi petitioni.

Negri Act.

Die 14. mensis Julii 1775. Referente Ill. Marchione Domino Præs. Decano D. Dominico Pensabene.

Præstationes, quæ centenaria possessione adjuvantur, infringi nequeunt; præsertim cum Regii Fisci intersit earum contributio.

In judicio condemnatorio nitido actionem suam, futilesque omnino Rei exceptiones, probare tenetur Actor; in vindicationis vero judicio ostendat oportet, dominium ad ipsum spectare, possessionem autem penes reum esse.

ORta anno 1734. ob mortem Ducis D. Horatii de Luca absque successoribus in gradu, controversia inter Regium Fiscum, & Ducem Castripagani super devolutione feudi Sancti Angeli *in Grotta* nuncupati, eaque pendente, fuit anno 1740. ad transactionem deventum, cujus vigore feudum prædictum, cum annua per Universitatem debita præstatione ducatorum 92., & cum nonnullis corporibus stabilibus, appretiatum pro ducatis 44000., solutis in beneficium Regii Fisci ducatis 29000., Duci Castripagani cum pacto evictionis remansit, *fol.112. act. pro Regio Fisco, & fol.299. proc. curr.*

Hoc idem feudum, cum annua præstatione ducatorum 92., aliisque corporibus, Duce Castripagani pacifice possidente, exposuit Universitas Sancti Angeli, ex prædictis an-

annuis ducatis 92., exclusis ducatis 24. 4., de quibus nullum verbum facit, ducatos 28. 8. solvi pro observantia quorumdam Capitulorum, ducatos 30. pro collecta Sanctæ Mariæ, & ducatos 9. pro annuo servitio unius diei pro quolibet foculario; harum autem quantitatum, ducatos 67. 8. componentium, debitum nullatenus subsistere, prout neque subsistit partita modiorum viginti frumenti pro jure Furni, quam Baroni cogitur Universitas quotannis præstare. Exposuit præterea ipsa Universitas, occupari per Baronem territorium *del Pontone*, territoria *delli Prati* nuncupata, medietatem Montaneæ, & corpus speciosum nuncupatum *delle Cese*, quæ ad eam spectant; unde nedum petiit a præstatione absolvi ducatorum 67. 8., ipsique quantitates hac de causa solutas esse per Baronem restituendas; verum etiam territoria prædicta una cum fructibus hactenus perceptis in ejus beneficium esse reintegranda, *fol. 1. proc. curr.*

Dux tamen Castripagani cum feudum prædictum per transactionem cum expressa evictionis promissione possideret, Regium Fiscum ejus auctorem laudavit, ut litem assumeret, ipsumque redderet indemnem. Impartito super omnibus hinc inde deductis sub die 11. Maji 1773. termino summario, eoque per testium examen jam compilato, de justitia, & bono jure utriusque partis superest agendum.

Quod primo petiit Universitas, scilicet, ut ab annua præstatione ducatorum 67. 8., ex supradictis ducatis 92., & modiorum viginti frumenti absolveretur, eo consistit, quod licet ducatorum 92. annua præstatio in appretio, & transactione anni 1740. fuerit descripta; ex tunc tamen de hujusmodi partitæ indebita præstatione Universitas ipsa expresse protestata est, *fol. 35. proc. Appretii*.

Indebitum vero ostendit Universitas, quia partita ducatorum 92. ex conventione procedit, prout in Capitulis anni 1619.; Capitula quidem, quæ ob defectum omnium sole-

solemnitatum, nullius usque ab initio fuerunt momenti. Revera in statu generali discusso onerum ipsius Universitatis, formato anno 1627. per Dominum Regentem de Tappia, nullimode ea præstatio continetur; neque de illa in liquidatione releviorum, aut adohæ taxæ fuit aliquando habita ratio; præterquam in liquidatione relevii 1774., quæ ob verificatam tunc temporis feudi devolutionem, velut suspecta, attendi non debet.

Excepit Dux Castripagani, negligendam omnino esse expressam Universitatis protestationem, quæ legitur in nota appretiatoribus exhibita anno 1740. de indebita annua præstatione ducatorum 92.. res enim ipsa examinanda est, & debiti causa: est autem notatu dignum quod integram partitam ducatorum 92. indebitam esse protestata est Universitas, cum in hoc judicio, nullo verbo facto de ducatis 24. 8., eam non ex integro, sed pro ducatis 67. 8. impugnet.

Quod vero ad debiti justitiam attinet non inficiatur Dux Castripagani, Capituli anni 1619. nullam haberi posse rationem; sed respectu partitæ ducatorum 28. 08., quam pro Capitulorum observantia præstare dixit Universitas, animadvertit is idem Dux, diversam omnino esse ab ea, de qua in Capitulis fit mentio; Capitula enim conventionem ostendunt præstationis annuorum ducatorum 36. Partitas vero alias, quæ annuos ducatos 39. componunt, etsi in Capitulis memoratas, non ab illis tamen procedere, Dux Castripagani contendit, cum satis antiquius earum debitum fuerit: quod sane probat ex ipsis, Capitulis anni 1619., in quibus de partitis duc. 30. & duc. 9. non velut de nova præstatione disponitur, sed velut de solita antecedenter debita. En verba Capitulorum: *Item, che li 30. ducati, quali lo Signore dev' avere dall'Università di Santa Maria di Settembre, non li possa domandare innanzi, ne anche li novi ducati, che si paghino per convenzione di una giornata a fuoco, fol.38. a t. proc. Univers.* Sic-

Sicque etiam præstationum prædictarum debitum antiquius fuisse, probat primo Dux Castri Pagani ex alia antecedenti feudi venditione, cum Regio assensu, secuta anno 1585., in qua, confuso ambarum partitarum debito, fit mentio, quod pro collecta Sanctæ Mariæ annui ducati 39. solvebantur. En verba instrumenti prædictæ venditionis: *Et in dicta Terra S. Angelo . . . la Colta di S.Maria di annui ducati 39. fol.292. procef. Univerf.* Probat secundo ex alia venditione ejusdem Feudi, secuta anno 1655, cum Regio assensu interposito sub anno 1660., in quo inter alia leguntur expresse venditi: *Ducati 112. in circa paga l' Università in virtù d' Istrumento, fol. 61. procef. Univerf.*

Quæ omnia ostendunt, nullo modo subsistere quod Universitas deduxit, annuam duc.92. præstationem ex conventione procedere; id enim, quod in capitulis 1619. de conventione dicitur, refertur dumtaxat ad annuam præstationem duc. 9., ratione servitii unius diei pro quolibet foculario, ut ex verbis paulo ante transcriptis dignoscitur; unde conventio non pro servitio processit, sed pro annua ejus solutione loco supradictorum duc.9. Respectu vero annuæ præstationis modiorum viginti frumenti pro furnis, illud notat Dux Castripagani, quod prima Feudi concessio una cum furnis expresse facta fuit; in ejus enim venditione anni 1585., cum Regio assensu, legitur, quod -- *li furni si affittano in grano fol. 292. procef. Univerf.* Accedit, quod in quodam Universitatis parlamento anni 1681. memoratur, pro furnis annua modia triginta frumenti solvere Universitatem, *fol.33. proc. Univerf.* In liquidatione relevii anni 1734. partita hæc legitur descripta pro modiis viginti septem, & in appretio 1740. pro modiis viginti. Est autem animadversione dignum, quod hodie non agitur de exercendo jure privativo respectu furnorum, sed de annua illa frumenti exigenda quantitate, quam pro hoc

jure ejus Baroni ab antiquo solvere consuevit Universitas.

Frustra vero per Universitatem opponi, inquit Baro, in statu generali onerum Universitatis; formato, pro ut alibi dictum est anno 1727. per Dominum Regentem de Tappia, nullam de annuo debito duc. 92. vel de præstatione modiorum 20. frumenti mentionem fieri, nec in antiqua relevii anni 1677. liquidatione, sive adohæ taxa; ex quo quidem silentio indebitum utriusque partitæ mirum in modum probari concludit Universitas prædicta: namque hæc est res inter alios acta, Baroni haud nota; cui quidem nec licebat, cum onera Universitatis discuterentur, partes suas interponere. Illius itaque præstationis in statu discusso prætermissio nequit ei nocere, qui in tanta antiqua exigendi possessione reperitur, ut id in hoc judicio petat Universitas, ne ad successivam præstationis continuationem teneatur.

Et quoad annuam modiorum 20. frumenti præstationem id prætermittendum non est, quod in Instrumento venditionis feudi anni 1585. explicatur, nimirum quod -- *li furni s'affittano in grano*; unde bene fieri potuit, quod tempore status onerum discussi furni ad Universitatem nondum pervenerant, prout successive pervenisse constat ex prædictis.

Multoque minus Duci prædicto nocere debet silentium ex liquidatione relevii 1677. vel taxa adohæ resultans; quia hoc argumentum vix in judicio possessorio vim aliquam habere potest, nusquam tamen in petitorio; notissimum enim est Barones, ad relevii, vel adohæ diminutionem, fructus feudi diminuere consuevisse.

Respectu vero corporum stabilium, & redituum, quorum petit Universitas, una cum fructibus, reintegrationem, num sint feudalia, vel burgensatica prætermittimus, quia a Dominii probatione sive uno, sive alio casu, ex integro pendet controversia. Eorum igitur primum est terri-

territorium *del Pontone* nuncupatum, quod, constat, in venditione annui census anni 1602. favore Creditoris Universitatem hypothecasse, prout constat, territorium ipsum Baroni, nulliter tamen ob defectum omnium solemnitatum, Universitatem prædictam annis 1601. & 1681. vendidisse.

Sed pro parte Ducis Castripagani respondetur primo, hypothecam super aliqua re contractam dominium favore hypothecantis nullatenus probare, prout neque minus probat locatio ad textum in *L. ad probationem* 23. *C. de locat. & conduct.*: constat tamen de dominio territorii *del Pontone*, velut feudalis, apud Baronem, ex venditione feudi anni 1655., *fol.* 61. *proces. Univers.*

Secundo responderur, territorium *del Pontone*, quod petit Universitas reintegrari, ab ipsa sub nomine *del Pontone* possideri conterminum alii territorio *del Pontone* a Duce possesso, ut ex testibus examinatis, præsertim super *cap.* 4. *&* 5. pro Barone *proces. Univers. fol.*209. *a t. in fine*, *&* 210.; atque ex actis appretii anni 1740. constat, quomodo territorium *del Pontone* cum demaniis Universitatis conterminat; ibi enim legitur: *da dove rivoltando per detto fossitello, e calando a basso, si giunge al fosso grande tra detto Bosco del Pontone, e demanii dell' Università fol.* 239. *a t. proces. appretii*. Nec territorium anno 1602. hypothecatum cum illo confundi potest, quod sibi petit Universitas reintegrari, quia ex ipsomet instrumento anni 1602. constat, territorium *del Pontone* hypothecatum mensuræ esse modiorum centum *fol.* 6. *proces. Univers.*; territorium vero a Barone possessum mensuræ est modiorum 300., ut ex appretio constat anni 1740., *fol.* 239. *& a t. proc. appret.* Ex quibus omnibus satis lucide deprehenditur, *in contrada del Pontone* non unum, sed plura, & ad minus duo adfuisse territoria, quorum unum Baro possidebat, aliud vero Universitas.

Pro aliis vero corporibus ſtabilibus, nuncupatis *li Prati*, *le Ceſe*, *le Cannavine*, *e la Montagna* expoſuit Univerſitas, in ſtatu formato anno 1627. per Dominum Regentem de Tappia inter reditus ipſius Univerſitatis deſcriptos fuiſſe affictus *delli Prati*, & introitus territoriorum *in grano*, *fol. 56. proc. Univ.*; in inſtrumento vero cenſus anni 1602. hypothecatos fuiſſe *le Pratole dell'impicciata*, *fol.6.* Horum autem corporum ſpolium aſſerit Univerſitas anno 1681. paſſam fuiſſe quo tempore prætextu quorumdam infirmorum credituum, & prævio quatuordecim tantum Civium parlamento tranſactionem, & corporum prædictorum ab ipſa Univerſitate alienationem obtinuit Baro ſub expreſſa tamen conventione obtinendi infra ſemeſtre tempus Regium aſſenſum *fol.15.* qui cum nuſquam fuerit obtentus, prout neque decretum *Expedit* obtentum fuit, reintegrationis caſum clariſſimum eſſe, concludit.

Contra Dux Caſtripagani, dum ingenue fatetur alienationis anni 1681. nullitatem, addit, alienationem ipſam numquam exequutioni demandatam fuiſſe; itaut uſque hodie ea prata poſſideat Univerſitas, eaque Civibus ad terragia concedat, ſicut antiquo conceſſiſſe, conſtat, & ab eo uſque tempore, quo onerum ſtatus formatus fuit, in ipſo enim ſtatu non prata deſcribuntur, ſed pratorum affictus. Prata vero Baronalia alia, & omnino diverſa eſſe, Dux Caſtripagani contendit; ea namque a Barone ſatis ante inſtrumentum cenſus anni 1602. poſſidebantur, ut conſtat ex venditione feudi anni 1585. & Regio aſſenſu ſuper eam interpoſito, in quo leguntur expreſſe deſcripta -- *li Prati fol. 292.* & ex appretio anni 1740. in quo expreſſe deſcribitur *l'erba de' Prati*, *fol. 247. a t. proceſ. appret.*

Quo vero ad medietatem Montaneæ, cujus ſpolium per inſtrumentum anni 1681. prætendit Univerſitas paſſam fuiſſe, illud notat Dux Caſtripagani, quod licet ex actis con-

constet, Montaneam prædictam sibi, & Universitati communem esse; ejus enim medietatem Universitas petit in hoc judicio; illam nihilominus fere integram possidet Universitas ipsa, illaque nedum pro Civium animalibus, sed etiam exterorum gaudet, imo partim ad terragia reduxit, adeo ut vix ex ejus medietate Baro fructum aliquem percipiat, ceu ex testibus examinatis *super cap.* 11. *Baronis proc. Univers. fol.* 210. *a t.*

Superest denique agendum de duobus corporibus *delle Cese, e delle Cannavine*, quæ etiam in sui beneficium petit Universitas reintegranda. Hæc etiam corpora prætextu transactionis 1681. prætendit Universitas, nulliter fuisse per Baronem occupata. Sed respectu territorii, nuncupati *le Cese*, pro parte Ducis Castripagani respondetur, illud nusquam possedisse, nec possidere, in liquidatione relevii 1734. non legi denunciatum, nec in appretio 1740. æstimatum, quinimmo ab ipsa Universitate possideri, inter Cives in partes ad terragia divisum.

Pro territorio vero *delle Cannavine*, licet de eo mentio fiat in instrumentis transactionis, sive conventionis 1661. & 1681., *fol.* 17. *&* 140. in primo tamen ex prædictis instrumentis legitur, quod Universitas assignabat Baroni pro ducatis quinque quamdam terram, seu *Cannavinano* modiorum duorum cum dimidio circiter, sitam in Territorio ipsius Universitatis, ubi dicitur *alle Cannavine*, *fol.* 140. In appretio autem anni 1740. nulla de hoc corpore *delle Cannavine* legitur facta mentio, aut habita ratio, sed tantum de vinea *la Cortina*, redacta jam ad terram seminatoriam modiorum 18., *fol.* 248. *proc. appret.*; unde vinea prædicta modiorum 18. ea esse nequit, quæ sub nomine territorii *delle Cannavine* modiorum duorum in transactionum instrumentis describitur.

Super prædictis omnibus in hac causa hinc inde deductis, matura habita consideratione, animadvertit Regia Camera,

mera, ſuper annua præſtatione duc. 92. nullam pro annuis duc. 24. 2. cadere poſſe controverſiam, cum eorum debitum non impugnet Univerſitas, niſi pro annuis duc. 67.; id tamen prænotandum cenſuit, quod annuæ præſtationes in pecunia ad ducatos 112. aſcendebant anno 1655., ut legitur in venditione feudi eo anno facta, *fol.61. proceſ. Univerſ.*, inter quos annui ducati 39. comprehendi debebant, de quibus pro collecta Sanctæ Mariæ, & ſervitio unius diei pro quolibet foculario fit mentio in capitulis anni 1619. *fol.* 38., & in venditione feudi anni 1585., *fol.* 292. In appretio tamen anni 1740. præſtationes prædictæ pro ducatis 92. ſic deſcribuntur: *poſſiede ſimilmente la ſuddetta Baronal Camera annui ducati* 92. *e grana* 8. *che ſe li corriſpondono dall'Univerſità di detta Terra per cagione della Portolania feudale, colta di Santa Maria e giornata a fuoco, a cui ſon tenuti i capi fuochi di eſſa Univerſità*. Ex quibus infertur, quod ſat ultra 100. annos excedit præſtatio ducatorum 92. & aſſium octo, de quibus agitur, prout ſatis ultra tempus prædictum excedit annua præſtatio modiorum 20. frumenti pro furno.

Quo poſito, cum hujuſmodi annuæ præſtationes, & jura nonniſi accedente expreſſo aut hominis, aut legis titulo exigi, & poſſideri valeant, ut expreſſe per *Pragm.* 14. *de Baron.* ſancitum fuit; conſequens eſt, ut a prædictarum præſtationum ſolutione nullo modo excuſari poſſit Univerſitas, ut bene pragmaticam prædictam in ſuis commentariis explicat Scipio Rovitus.

Prædicta vero, quæ pro omnibus præſtationibus ſuperius recenſitis ſcripta ſunt, multo magis pro collecta Sanctæ Mariæ procedunt, quæ non eſt onus inſolitum, ſed conſuetum in Regno Baronibus præſtari, ut teſtantur *Luc. de Penn. in L. fin. C. de exact. tribut. lib.* 10. *col.* 1. *verſ.* hujus gratia, *Ant. Capyc. in inveſt. feud. verſ.* Armandiæ *fol.* 281. *& ſub tit. feudorum clauſulæ verſ.* Vaſſal-

fallorumque redditibus *fol.* 103. *Franch. decis.* 56. *n.* 11. *Montan. de Regal. vers.* Vectigalia *n.* 4. Si Baro a longo tempore in possessione sit non exigendi collectam Sanctæ Mariæ, eam sane exigere non potest; *Paris de Puteo de reintegratione feud. Cap. si per* 30. *annos &c. fol.*97.*a t.* At Dux Castripagani cum in possessione eam exigendi reperiatur, non potest ab exactione repelli.

Respectu vero corporum stabilium in actis deductorum animadvertit Regia Camera, dominium suum non aliter per Universitatem probari, nisi per instrumenta anni 1661. & 1681. quorum vigore corpora prædicta Baroni nulliter cessisse dicit, sed non probat post prædicta instrumenta ea possedisse Baronem, qui id negans, affirmat imo per Universitatem fuisse possessa, & possideri.

Pro coronide tamen hujus causæ, naturam judicii potissimum attendendam duxit Regia Camera, quod sane partim condemnatorium est, partim vero reintegrationis: condemnatorii enim judicii ea est natura, ut actor actionem suam nitidam omni ex parte probare debeat, vanasque omnes rei exceptiones. In judicio vero reivindicationis nedum dominium suum actor nitide probare debet, verum & rem controversam a reo possideri.

Ex litigantibus vero melior est conditio possidentis, probationumque onus ad actorem pertinet, ut respectu rei statuit *Text. in L.* 8. *C. de probat.* Respectu vero actoris in *L. Possessiones* 2. *C. de probat.* Tanti vero valet mala actoris conditio; ut si litigantium jura obscura sint, adversus actorem sententia pronunciari debeat, prout in terminis judicii condemnatorii respondit *Innocentius II. in Cap. Inter dilectos de fid. instrum.* Et in terminis judicii reivindicationis tradidit Tribonianus in *Instit. de interdict. §.* 4.

Hæc, quæ pro causæ decisione inter Baronem, & Universitatem satis essent; multo magis, accedente Regio Fisco, locum habere debent, Cum enim a Regio Fisco,

ſco, ſolutis per conventionem anni 1744. ducatis 29. millibus feudum Baro ſub expreſſo evictionis pacto habuiſſet, eumque pro parte Univerſitatis impetitus laudaverit; ut in ſe litem aſſumeret, conſequens eſt, ut nullatenus Baro ab Univerſitate moleſtari poſſit, quæ omnem actionem adverſus Regium Fiſcum dumtaxat infra quadriennium dirigere potuiſſet, eoque elapſo nulla prorſus ei actio remanſit. Textus ſunt expreſſi in *L. omnes* 12. *& in L. Bene a Zenone* 13. *C. de quadrien. deſcript.*

Viſis itaque actis in quatuor voluminibus contentis ſpectatiſque omnibus huc uſque diſcuſſis, Regia Camera decrevit: *Ill. Dux Caſtripagani, & Regius Fiſcus abſolvantur ab impetitis pro parte Univerſitatis Sancti Angeli in Grotta nuncupatæ: Verum prædictus Dux non valeat aperire Furnos in prædicta Terra; & reſpectu Montaneæ in actis deductæ, tam prædictus Ill. Dux Caſtripagani, & Regius Fiſcus, quam Univerſitas prædicta manuteneantur in poſſeſſione eorum reſpectivæ medietatis: Neutram Partem in expenſis.*

Paſcale Act.

In cauſa magn. U. J. D. D. Hyacinthi Volpe Terræ Sanctæ Agathæ Apuliæ, cum Rev. Capitulo ejuſdem Terræ. Die 22. menſis Auguſti 1775.
Referente Dom. Præſ. D. Dominico Figliola.

Poſſeſſio exigendi ab Univerſitate, quæ titulo deſtituta eſt, etſi antiquiſſima, numquam præſcriptioni dat locum.

Cuique ex Civibus judicium inſtituere licet, ut oneribus relevetur Univerſitas.

DIſcuſſo in anno 1742. in tertia aula Regiæ Cameræ Statu Univerſitatis S. Agathæ Apuliæ pro duplici credito Rev. Capituli ejuſdem Terræ, deſcripto, ſub rubrica Creditorum Inſtrumentariorum ejuſdem, uno nempe annuorum ducatorum 119. & aſs. 20. altero vero duc. 66. pro pretio modiorum frumenti 110.; hujuſmodi pronunciatum fuit decretum: *continuetur ſolutio, citra præjudicium jurium Univerſitatis etiam in poſſeſſorio: Verum infra tres menſes doceat Capitulum, per vali-*

valida, & legitima documenta, alias termino elapso, & ipsis non exhibitis, Universitas non solvat, sed faciat depositum penes Reg. Perceptorem Provincialem, fol.77.

In anno 1756. instante Capituli Procuratore U. J. D. D. Hyacintho Volpe, Regia Camera mandavit continuationem solutionis favore ejusdem Capituli, & adsignationem annui redditus super debitoribus Universitatis, adjecta tamen clausula, *verum habens causam in contrarium*, *fol.*1.; sed ordine Administratoribus Universitatis notificato, & exhibito mandato procurationis ejusdem in personam U. J. D. D. Francisci Xaverii de Otero, *fol.* 6., ad ulteriora non est processum, usque ad elapsum annum 1774.

Eo autem anno idem D. Hyacinthus Volpe, tamquam unus ex Civibus dictæ Universitatis, petiit mandari illius Administratoribus, ne Capitulo solverent; ex quo documenta utriusque crediti numquam produxerat, *fol.* 7.: cui quidem inhærente Regii Fisci Patrono, fuit ordinatum depositum quantitatum decursarum, & decurrendarum, quoties Capitulum infra dies viginti instrumenta utriusque crediti in actis non edidisset, *fol.*9. & 18.; & quoniam idem de Otero Procurator Capituli, & Universitatis eodem tempore erat, *fol.*10., fuit insimul ordinatum, quod Universitas alium constitueret Procuratorem, dicto *fol.* 9.: quod decretum, audito & repugnante Capitulo *fol.* 23., ac instantibus tam dicto Volpe pro quantitate tantum ducatorum 135. & ass. 20., (pro aliis annuis duc. 50. nihil fuit oppositum *fol.*25.), quam Fisco, *fol.*25., fuit renovatum, *fol.*26., ac etiam per ipsos Administratores executum, facto per eos deposito in Banco dictorum ducatorum 135. 20. pro annata decursa in mense Augusti 1774. *fol.* 71.

Tunc idem D. Hyacinthus Volpe per libellum in petitorio postulavit absolvi Universitatem ab indebita solutione prædictorum ducatorum 135. 20., & Capitulum con-

demnari ad accepti restitutionem ab anno 1742., usque ad annum 1773., una cum expensis litis, & dato termino ordinario, inhærente Regii Fisci Patrono *fol.*74., eoque legitime compilato, nullis in eo factis probationibus, nec exhibitis documentis, cum jam tempus adesset ferendæ sententiæ, fuit per Capitulum producta instantia, in qua post quam fassum est, se scripturas utriusque crediti nec dum invenisse, adjecit, non ob id sibi præjudicium inferri debere, tam in petitorio, quam in possessorio, ut si quando inventæ quovis tempore producerentur, solutio continuari deberet, *fol.* 81.

Fiscus itidem suam edidit instantiam, petens, Universitatem absolvi, & Capitulum condemnari ad restitutionem indebiti exacti, prævio termino ordinario liquidandi, & depositum denique liberari Universitati, & pro ea Regio Perceptori in computum debiti Fiscalis, *fol.* 82.

Quibus omnibus sic relatis per Dom. Præsidentem D. Dominicum Figliola causæ Commissarium, omnibusque visis, & sedulo perpensis, fuit per Regiam Cameram sub die 22. currentis mensis Augusti, & anni 1775. lata sententia tenoris sequentis: *Universitas Terræ S. Agathæ absolvatur ab impetitis pro parte Rev. Capituli ejusdem Terræ, salva provisione facienda respectu indebite exacti: Nihil in expensis.*

Explorati enim juris est Universitates jure Minorum censeri *L.* 4. *C. quib. ex caus. Major.*, proindeque ex iis causis, quibus Minores in integrum restitutione juvantur adversus Creditores *L.* 1. *&* 2. *si adver. Cred.*, ibidem & Universitates *L. final. de reb. alien. non alien.*, & argumento *L.* 1. *D. de ventr. in poss. mitten.* Silet enim, ut ajunt, contra eos præscriptio, imo nec incipit, eo vel magis quod præscribi nequeant, quæ sine justo titulo possideri non possunt. Nec titulus cujusvis contractus contra Universitatem valet, deficiente Regio Assensu, per *Pragm.* 11. *&* 21. *de adm. Univ.*, *& per Pragm.*

Pragm. 5. *de censib.*, nec Assensus umquam præsumitur præstitus; ideoque praxis inolevit in discussione Status Universitatum Regni ordinandi exhibitionem tituli, ut quatenus extet, innotescat, & in comperto sit, vitio nec ne laboret, & præsertim ut appareat, sit vel ne contractus Regio roboratus Assensu. Ea propter cum Capitulo desit titulus, nec præscriptione juvari possit, jure merito Universitas S. Agathæ est absoluta.

Nec obstare visum est judicium cæptum, & absolutum per unum ex Civibus dictæ Universitatis D.Hyacintum Volpe, nam & hæc inter populares censenda est actiones, quas cuilibet ex Populo experiri licet *L.* 1. *&* 5. *D. de popul. act.*; præter quam quod D. Hyacintus Volpe jus est prosecutus suum, liberata quippe ab ære alieno Universitate, cujus ipse pars est, itidem liberatur & ipse pro rata portione ejus oneris. His addendum, quod judicium inchoatum, & finitum est petente Regio Fisco, cujus interest quam maxime, ne Universitates onere ullo indebite graventur.

Provisionem sibi reservavit Regia Camera pro eo, quod attinet ad accepti restitutionem; etenim quamvis Capitulo non suffragentur bona fides, & Magistratus decretà in petitorio, examini tamen plura subjicienda remanebant, quæ altiori indagine, & causæ cognitione, & liquidatione egebant.

Ad expensas denique Capitulum non teneri visum est, ex quo malam fidem, & temeritatem usque adhuc abesse censuit Regia Camera.

Squatriti Act.

In causa Ill. Marchionis de los Balbases utilis Domini Terræ Ginusii, & Universitatis dictæ Terræ, cum Ven. Regali Monasterio RR. PP. Cassinensium S. Michaelis Archangeli Civitatis Montis Caveosi. Die 8. Augusti 1776. Referente Domino Præs. Decano D. Dominico Pensabene.

Transactio a Procuratore inita, cui specialis transigendi facultas mandata non fuit; transactio item, quæ fraudem redolet, nulla reputatur. Nisi autem transactio hujusmodi Magistratus sententia nulla prius declaretur, suscipi nequit judicium, super quo transactū est.

POssidente anno 1579. Joanne Baptista Doria ex concessione Augustissimi Imperatoris Caroli V. feudum Ginusii, petiit in supremo Regiæ Cameræ Tribunali inhiberi Ven. Monasterio RR. PP. Cassinensium S. Michaelis Archangeli Montis Caveosi immissionem animalium ad pascendum in *Domanialia* feudi prædicti. Excepit Monasterium, hoc jus ex antiquissima immemorabili possessione ei competere vigore concessionum, & privilegiorum Serenissimorum Principum hujus Regni. Partibus hinc auditis, illud, quod sequitur, prodiit sub die 4. Maji 1580. Regiæ Cameræ decretum:

Præstita cautione per Sacrum Monasterium Sancti Angeli de solvendo quicquid fuerit judicatum, & facta annotatione lite pendente, Monasterium prædictum manuteneatur in quasi possessione juris pasculandi, aquandi, & pernoctandi cum animalibus suis, & lignandi in Domaniis *Terræ Ginusii omni tempore in ea parte* Domaniorum, *qua non utitur Regia Dohana Menæpecudum. In ea vero parte, qua utitur Regia Dohana, utatur ipsum Monasterium, postquam exierint animalia fidata per dictam Regiam Dohanam, & detur, prout datur terminus in causa proprietatis ad probandum incumbentia, fol.* 167. 1. *vol.*

Hujus tamen decreti processus originalis non reperitur in actis, quia cum illum ad perconctandum obtinuerit anno 1696. D. Joannes Guglielmino Monasterii Procurator, nusquam restituit; cumque ad ejus restitutionem anno 1717. coactr fuerit, *fol* 55., ejus tandem exemplum restituit, in ɔ plures actus usque ad annum 1695.; istud

istudque exemplum constituit hodie primum omnium processuum hujus causæ.

Proprietaris tamen, sive petitorii pendente judicio, ad immoderatam interea in *Domania* Ginusii impediendam animalium pro parte Monasterii immissionem, petiit antedictus Joannes Baptista Doria, ut citra omnium ejus jurium præjudicium, certus eorum numerus præfigi debuisset, nec animalium numerum excederet, quem cuivis illius Universitatis civi licebat immittere: cui quidem petitioni respondet hujusmodi Regiæ Cameræ decretum: *Capiatur informatio infra sex dies, ad finem providendi*, *fol.* 3.

Capta inde informatione, prout legitur in exemplo illius processus, de causa sive possessorii, sive petitorii usque ad annum 1642. actum non fuit. Sed cum hoc anno feudum Ginusii ad Regiam Curiam devolutum, Ill. Philippus Maria Spinola Marchio de los Balbases quæsivisset, pro consueto ordine ad animalium Monasterii in ea *Domania* immissionem impediendam, institit: decrevit autem Regia Camera sub die 24. Septembris 1642. *Terminus alias datus per Regiam Cameram sub die 4. Maji 1581. super proprietate jurium prætensorum per Monasterium currat ab hodie, & expediantur solitæ provisiones, renovata cautione per biennium, servata forma soliti; infra quod utraque pars procuret procedi ad ea, quæ incumbunt pro expeditione causæ vertentis super prætensa moderatione, pro qua fuerunt receptæ probationes vigore decreti interpositi per Dominum causæ Commissarium sub. die* 16. *Januarii* 1581. *fol.* 188.

Posteriori anno 1643. documentum quoddam sub Friderico II. Imperatore confectum, an. videlicet 1233., fuit pro parte Monasterii præsentatum, *fol.* 90.; sed post hæc usque ad ann. 1715. utraque causa iterum siluit.

Anno 1645. ejus animalia prætendit Monasterium nedum in *Domania* Ginusii, versus Montes immittere, sed etiam

etiam in *Domania* versus mare. Huic tamen novissimæ facultatis ampliationi ea ratione se opposuit Marchio de los Balbases, quod *Domania* versus mare Ginusii non erant, sed alterius ejus feudi Girifalci, a feudo Ginusii distincti & separati; qua de causa sub die 12. Januarii 1645. decreto Domini tunc temporis Præsidentis causæ Commissarii fuit ordinatum: *Provisiones expeditæ per Regiam Cameram debitæ executioni demandentur, servata forma soliti, & absque aliqua innovatione, fol.*199.

Anno 1707. cum ex causa belli, tunc temporis mirum in modum sævientis, feuda, quæ in dominiis Serenissimi Regis Catholici Philippi V. familia Ducis Montis Leonis possidebat, sequestrata fuerint, tenutam feudi Ginusii eadem de causa sequestratam Carolus VI. Imperator eidem Duci in remunerationem concessit. Hinc is petiit & inhibitionem Monasterio animalia immittendi in *Domania* Ginusii, & jam pendentis judicii continuationem, Regio Fisco audito. Is idem cum Universitate Genusii petiit item, cogendum Monasterium ad privilegiorum, Regaliumque concessionum exhibitionem, quarum vigore, sæpe dixerat, ejus animalia in *Domania* Ginusii immittere posse, *fol.*38. *&* 42. 2.*vol.*; Monasterium vero interpellatum tria præsentavit Regia rescripta, nimirum primum illud anni 1233. Imperatoris Friderici, quod alias præsentaverat anno 1643., secundum Friderici de Aragonia Principis Altamuræ anni 1488., & tertium denique Regis Ferdinandi anni 1507., pro quorum executione petiit in ejus possessione deinceps non esse turbandum, *fol.* 76.

Anno 1725. pacem inter Regem Catholicum publicata cum Imperatore Carolo VI., deletis sequestris durante bello ordinatis, Ill. Marchio de los Balbases feudum Ginusii recuperavit; qua de re pro decisione causæ de moderatione numeri animalium institit; cum terminus ad hanc rem impartitus jam fuisset compilatus. Sed Regia

Ca-

Camera die 16. Martii 1740. ejus decreto, in gradu revisionis confirmato, illud censuit mandare ante hujus causæ decisionem, scilicet quod Regius Architectus Ginusium accederet, inspectisque quæ ad rem facerent, referret, *fol.*90. 3.*vol.*

In hoc rerum statu, super utroque pendente judicio legitur anno 1741. inira transactio inter Monasterium, & Marchionem Sancti Caroli, Procuratorem generalem Marchionis de los Balbases, quæ licet beneplacito Apostolico nusquam fuerit munita, fuit tamen Regio assensu prædita, eodem anno instante Monasterio interposito, *fol.* 104. & 129.

Constat ex actis hujus causæ de generali mandato Marchionis de los Balbases in personam Marchionis Sancti Caroli, rogato in Civitate Matriti sub die 6. Junii 1739. *fol.* 14. *proc. Comprom.*

In transactione vero prædicta diffusa mentio occurrit facti, & diuturni litis cursus non solum super possessorio, & petitorio, verum etiam super moderatione numeri animalium. Mentio quoque est de expositis privilegiis an. 1233. 1488. 1507., ac de alio privilegio Imperatoris Caroli V., quorum autographa in ejus Archivo, asseruit Monasterium, conservari; & ea de causa non producta, ne scilicet deperderentur: in ipsa vero transactione adfirmavit Monasterium, quod pro veris & subsistentibus habita fuerunt in sollemni quodam inventario, confecto anno 1500. ordine Reginæ Joannæ de Aragonia, *fol.* 11. 3.*vol.* Innuit denique eadem transactio prætensionem Marchionis de los Balbases, hisce terminis conceptam, scilicet quod veris etiam per hypothesim privilegiis, de animalibus pro usu proprio Monasterii intelligenda essent, non autem pro industria & mercimonio, *fol.* 109.: cui quidem Monasterium respondebat, indefinite semper, & absque aliqua restrictione per annos sexcentum libere ejus animalia immisisse, *fol.* 117.

Hisce

Hisce omnibus enunciatis, ac expressa renunciatione facta omnibus litibus, & judiciis, partes ea transactione convenerunt, quod deinceps Monasterio tria millia pecorum in *Domanialia* Ginusii ad pascendum liceret immittere, quodque Monasterium ipsum cuivis juri, & læsionis actioni renuncians, alienationem duarum Defensarum *Galasi*, & *Pantani* in beneficium Marchionis de los Balbases factam anno 1666. ratam haberet, prout in ipso transactionis instrumento ratam habuit, *fol.*121.

Hoc tamen transactionis instrumentum, quod numquam a Marchione de los Balbases ratihabitum fuit, anno 1766. impugnavit hodiernus Ill. Marchio; & ne obstaret Regius assensus, qui eidem transactionis instrumento accesserat, Regalem Cameram S. Claræ adivit, decretumque obtinuit, scilicet, quod *Regia Camera Summariæ habita ratione Regii assensus, quæ de jure habenda erit, super supplicatis de justitia provideat*, *fol.*27.*proc.Compr.* Successive autem pendentes controversiæ compromissæ fuerunt; cum vero pro exhibitione originalium privilegiorum Ill. Marchio de los Balbases insisteret coram Arbitro, statim a compromisso recedens Monasterium, ad hoc supremum Regiæ Cameræ Tribunal confugiens, supradictæ transactionis petiit executionem, *fol.*54. 4. *vol.*

Hinc ad causæ decisionem attendens Marchio de los Balbases, collectis omnium privilegiorum exemplis, hactenus pro parte Monasterii præsentatis, ea petiit recognosci, & examinari, num aliquam de jure fidem mereri potuissent; commissaque peritia Regio Archivario D. Antonio Chiariti, ea fuit illius opinio, quod cum de exemplis ageretur, nullam authenticitatis notamh abentibus, nullam exempla ipsa fidem mereri, vel probationem in judicio facere poterant, *fol.* 87. Hac inspecta peritia, sequens sub die 7. Septembris 1768. fuit per Regiam Cameram publicatum decretum: *Explicando provisionem pluries reservatam, exequatur conventio inita inter Re-*

gale

gale Monasterium S.Michaelis Archangeli Civitatis Montis Caveosi, & Ill. Marchionem de los Balbases de mense Aprilis 1741.; *& respectu deductorum pro parte dicti Ill. Marchionis, & per Universitatem Terræ Ginusii, infra quatuor dies audiantur partes, in quo termino ante litis contestationem teneatur dictum Regale Monasterium exhibere originalia privilegia, quorum copiæ reperiuntur in actis deductæ, fol.* 242.

Pro hujuscemodi decreti executione, licet tria Regalia rescripta anno 1708. produxisset Monasterium, *fol.*6. 2.*vol.*, indicavissetque quatuor in instrumento transactionis anni 1741.; interpellatum nihilominus præsentavit tantum instrumentum, quod dicitur anno 1233. tempore Friderici Imperatoris confectum, cetera privilegia, & concessiones asserens in quodam diffusissimo libello fuisse amissa & deperdita: eis tamen non ad tituli, sed antiquissimæ possessionis probationem usum fuisse, *fol.*48. 5.*vol.*

Instrumento prædicto anni 1233. præsentato, super ejus fide, & qualitate fuit, instante Ill. Marchione de los Balbases, commissa peritia magn. D. Nicolao Migliore, & Magistro Actorum Notariorum D. Josepho Palma, cui ob impetratam excusationem substitutus fuit D. Franciscus Peccheneda. Hi recognito & examinato eo instrumento, falsum censuerunt, *fol.* 114. Petita deinde hujus peritiæ revisione pro parte Monasterii, & ea magn. D. Alexandro de Vito commissa, D. Josepho Gargano, & Magistro Actorum Notariorum D. Josepho Palma, qui primo obtinuerat excusationem, prævia matura discussione, licet magn. de Palma peculiare judicium pro Monasterio protulisset, *fol.* 336.; ceteri tamen aliorum Peritorum judicium approbarunt & confirmarunt, *fol.* 253.; unde inter quinque Peritos, quibus primo, & secundo instrumenti examen commissum fuit, quatuor falsitatem pronunciarunt.

 His

His peractis, testes produxit Marchio de los Balbases ad probandam quantitatem animalium pro parte Monasterii in *Domanialia* Ginusii quotannis immissorum, ut videre est ex processu, cui titulus *Examen civile &c.*; testibusque examinatis, publicata fuerunt acta die 22. Septembris 1773. *fol* 74.

Facti, & causæ cursus historia huc usque præmissa, de transactione anno 1741. stipulata, ejusque viribus nunc agendum est, pro cujus validitate hæc pro parte Monasterii deducuntur, nimirum: Primo transactioni non obstare, nomine Marchionis de los Balbases transegisse S. Caroli Marchionem ejus Procuratorem; ejus enim procurationis mandatum, quippe quod *liberam*, & amplissimas facultates complectitur, speciali ad transigendum æquivalet. En verba mandati: *E finalmente faccia tutt' altri atti e diligenze, che per lo contenuto in questa procura si offerissero, e'l di più, ch' esso Ecc. Costituto farebbe, essendo presente, e che la facoltà, che per tutto ciò, e per lo annesso, e dipendente si ricerca, ed è necessario, glie lo dà e conferisce Sua Ecc. al menzionato Signor Marchese, senza limitazione, nè riserva di cosa alcuna, e con quanta generalità per questo caso si ricerca; di maniera che possa ampliare, e stendere a tutto quello, che occorresse, e necessitasse, senza ostacolo di non essere in questa procura espresso . . . con qualità, che non possa contestare alcuna dimanda, senza che prima s' abbia fatto notorio a S. E. &c. fol.*17.*proc.Compr.* Sufficiens vero Procuratore habente mandatum, nulla opus est Constituentis ratihabitione, quæ alias in transactione ipsa, quatenus opus fuisset, & ad majorem cautelam legitur promissa, *fol.* 104. 3. *vol.*, prout de jure fuisset semper intelligenda.

Contra Marchio de los Balbases inquit, quod licet notissima sit inter Forenses Jurisperitos controversia, & sententiarum diversitas; & plures mandatum generale, cum *libe-*

libertate, ad transigendum sufficere tenuerint, inter quos *Antonius Fab. in Cod. lib. 2. tit. 4. de transact. defin. 7.*, & *Urceol. de transact. quaest. 12. n. 5*; alii contrarium doceant, facultates omnes a constituente concessas circa, non autem ultra vel extra praemissa esse intelligendas, atque inter hos *August. Barbos. de clausul. claus. 35. n. 26.*, & *Rot. Rom. rec. part. 2. decis. 754. n. 29. part. 4. tom. 1. decis. 312. n. 5. petit. 13. decis. 226. n. 10. part. 15. decis. 73. num. 14. & part. 17. decis. 64. num. 16.* Constat tamen negativam sententiam expressa textus dispositione fundari in *L. Mandato 60. ff. de Procurat.*: *Mandato generali*, sunt verba textus, *non contineri etiam transactionem, decidendi causa interpositam; & ideo si postea is, qui mandavit transactionem, ratam non habuit, non posse eum repelli ab actionibus exercendis.*

Secundo contendit Monasterium, verum esse, non falsum, nec apocryphum instrumentum sub Imperatore Friderico II. anno 1233. celebratum, illudque ad probandam antiquissimam ipsius Monasterii possessionem satis esse, quae quovis alio titulo plus valet, & melior est.

Pro parte tamen Marchionis de los Balbases respondetur, quod cum in comperto sit, ex actis constet, & Monasterium fateatur; nullum ei pro jurium, de quibus agitur, pertinentia titulum assistere, nullamque concessionem; ad titulum ex centenaria & immemorabili praesumptum frustra recurritur. Ad id enim probandum tempus ab anno 1579. decursum a tempore decurso ante ipsum annum 1579. distinguere & separare oportet. Porro ab anno 1579. licet duo ferme saecula decurrerint; nullatenus tamen diuturnus isthic temporis cursus suffragatur; itaut immemorabilis & centenaria possessio allegari queat; quia ab anno 1579. usque ad hodiernum diem judicia super possessorio, & super petitorio pendent in hoc Tribunali, cujus decretis, licet Monasterium in possessione fuerit, agitur; id tamen, facta quo-

quotannis animalium immissorum adnotatione, & præstita de biennio in biennium cautione de solvendo quicquid fuerit judicatum, secutum est.

Quod vero attinet ad tempus decursum ante annum 1579. non aliter antiquissimam ejus possessionem probat Monasterium, nisi notissimo instrumento anni 1233., in quo legitur, molestato Monasterio in possessione jurium, de quibus agitur, Imperatori Friderico II. preces submisisse; & ne ulterius molestaretur, ordines obtinuisse directos Nicolao de Bisantio Magistro Procuratori *Domaniorum* Montis Caveosi, Pomarici, & Ginusii, quod si fortasse spoliatum reperiretur, ad pristinum reintegrari debuisset, prout præfatus de Bisantio executus est, actu ad id confecto, qui fuit in actis Notarii Angeli de Bario repositus & conservatus, *fol.*116. 5.*vol.*: sed Monasterium originales literas Imperatoris Friderici non producit; est imo notatu dignum, quod licet in actu prædicto legantur insertæ; ex hoc tamen exemplo ubi, & quo in loco datæ fuerint, non constat: quod sane ad eas infirmandas satis est, ut monet *Afflict. decis.*302.*n.*5. Utcumque vero sit, instrumentum prædictum anni 1233. non est nisi scriptura informis, nullum præseferens veracitatis argumentum; nec plane constat, Angelum de Bario, Notarii officium exercentem, eo tempore, aut aliquando in mundo adfuisse; unde est, quod cum de instrumenti prædicti autographo non constet, nulla ei fides adhiberi potest. Sunt in hoc concordes Romanorum Leges, & Canones Juris Pontificii. Porro in *Cap.* 1. *de fide instrum.* sic habet Divus Gregorius: *Si scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere possumus*. Et post textum in *L. Si procurator C. de edendo*, sic loquitur Glosa in *Auth. Si quis, eod.tit. Exemplo non creditur, & ratio est ... quia posset fraus, & deceptio intervenire; nam posset esse, quod originale esset falsum, & si crederetur exemplo, non posset ex compara-*

paratione, vel ex signo, quod non videretur, dici de falsitate, & daretur materia falsum fabricandi.

Ceterum pro falsitate instrumenti anni 1233. adstipulatur prædictis geminæ a quatuor ex quinque Peritis in prima instantia, & in gradu revisionis datæ relationes, de quibus supra actum est; prout denique Peritorum judicio duo instat adstipulari argumenta Marchio de los Balbases, quorum primum Monasterium ipsum in transactione subministravit. In ea quidem ad tuendam privilegiorum veritatem, inventario quodam usum est Monasterium, de ordine Reginæ Joannæ de Aragonia confecto, in quo omnia ipsius Monasterii bona, & effectus describi, & privilegia prædicta pro veris & legitimis habita fuisse asseruit, *fol.* 111. 3. *vol.*; sed collato inventario, nulla privilegiorum, de quibus agitur, aut Ginusii legitur mentio; unde pro parte antedicti Marchionis de los Balbases concluditur, adeo oscitanter ad transactionem fuisse deventum, ut etiam mendacia argumenta locum sibi vindicaverint. Secundum vero argumentum in quadam Monasterii instantia fundatur, in qua M.C.V. illud Monasterium ipsum exposuit anno 1533., scilicet quod possidens in territorio Ginusii domos, & possessiones, quarum intuitu illius Universitatis civis erat, & civilitate fruebatur, ac immunitatibus, & juribus pascendi, aquandi, pernoctandi, & lignandi, prout ceteri cives; a nonnullis immerito, & summa injuria vexabatur: qua de causa Magistratus auctoritatem imploravit. M. C. V. edictum publicari jussit juxta petita, prout Ginusii publicatum fuit, *fol.* 112. 4. *vol.* Si igitur, subdit Marchio de los Balbases, ad tuendam jurium, de quibus agitur, possessionem, non alium titulum Monasterium produxit, nisi illum Civilitatis Ginusii, in domibus, & possessionibus fundatum, quas in eo territorio possidebat; porro in comperto est, alium titulum, privilegium, vel concessionem non habuisse. Civili-

vilitas vero Ginusii a Monasterio prætensa, si ei ob domos, & possessiones, quas in eo territorio habebat, competere potuit, exspiravit quidem anno 1666., quo fuerunt per ipsum in beneficium Marchionis de los Balbases defensæ Galasi, & Pantani, cum domibus in eis existentibus, venditæ & alienatæ. Sed Civilitas prædicta vanissimum est commentum, quia nusquam auditum, bona tenentes in territorio alicujus Universitatis, illius Civilitate gaudere; idque etiam Advocatus ipse Monasterii in ejus scriptura clare & expresse fatetur *fol.* 42.

Contra secundum ex expositis argumentis id assumpsit Monasterium, quod instantia M.C.V. non fuit pro suis juribus, de quibus agitur, tuendis producta, sed pro Civibus Ginusii, qui in ejus domibus, & possessionibus habitabant, ut ex ejus scriptura videre est *cit. fol.* 42.: Marchio tamen de los Balbases replicavit, assumptum non subsistere, quod clare satis ostendunt provisionales literæ per M.C.V. expeditæ, ex quibus plane constat, pro suorum jurium indemnitate M.C.V. Monasterium adivisse, non autem pro Civibus Ginusii, qui in ejus domibus, & possessionibus habitabant, ut ex ipsismet provisionalibus literis citatis videre est, in quibus sic habetur: *Pro parte Ven. Abbatis, & Monachorum Ven. Monasterii S. Michaelis Archangeli de Terra Montis Caveosi de Ordine S. Benedicti de observantia Congregationis Cassinensium, alias S. Justinæ de Padua, fuit in dicta M.C. expositum, quod cum dictum Monasterium habuerit, & habeat nonnullas domos, & possessiones in Civitate Matheræ, & Terris Ginusii, & Pomarici, & aliis Terris, & Castris hujus Regni, propter quæ dictum Monasterium in qualibet dictarum Civitatum, & Terrarum, ubi habet dictas terras, & domos, seu habitant domestici & familiares dicti Monasterii, fuit & est Civis dictorum locorum, & tamquam Civis gavisum est & gaudet, ac gaudere debet pascuis, immunitatibus, &*

& exemptionibus, juribus pasculandi, aquandi, pernoctandi, & ligna incidendi, sicut alii Cives dictarum Civitatum & Castrorum. Et quia Exposcentes ipsi molestantur, & indebite inquietantur per nonnullos contra omne juris debitum, super quibus provisione dictæ M.C. petita, volens dicta M.C. debite providere, propterea vobis &c. fol.112. 4.vol.

Instantiæ prædictæ anni 1533. consecutum est judicium a Barone Ginusii anno 1581. institutum, quo, citra præjudicium omnium ejus jurium, petiit, numerum animalium, quæ in ea *Domania* Monasterium immittere solebat, ad eum numerum restringi, quem quilibet alius Civis immittere poterat: quod quidem probat, usque ad eum annum 1581. civica fuisse reputata jura, de quibus agitur, apud Monasterium.

Admissa autem per hypothesim, & citra veri præjudicium, legalitate & veracitate instrumenti an. 1233., fuit etiam pro parte Marchionis de los Balbases responsum, quod cum de jurium, de quibus agitur, continuata possessione non constet usque ad seculum XVI., potuerunt sane jura prædicta ob non usum amitti. XVI. vero decurrente seculo de jurium prædictorum possessione constat anno 1533. ex prætensa Ginusii Civilitate, ob domos, & fundos in eo territorio possessos, quos multo post annum 1233., & paulo ante 1533. Monasterium ipsum quæsierat.

Gemina relata argumenta, quæ fidem detrahunt instrumento anni 1233., Peritis, pro ipsius instrumenti recognitione non semel, sed bis adhibitis, nullatenus innotuerunt; excepto tantum, quod Peritus de Palma de secundo verba faciens, sic concludit: *Il primo è, che i Monaci se nell' anno 1533. avessero avuta la pergamena, che se li controverte, non si sarebbero appoggiati al jus Civico per immettere i loro animali ne' Demanii di Ginosa; su di questo punto non posso io entrarci, perchè*

chè appartiene a' Magistrati di giudicarlo, *fol.*373. 5. *vol.*

Tertio deducitur pro parte Monasterii, transactionem, de qua agitur, adeo cum bona fide, & absque dolo, vel fraude processisse, ut numerus animalium, quem in *Domania* Ginusii quandoque usque ad 18000. Monasterium ipsum immittere consueverat, ad 3000. ovium fuerit transactione restrictus. Contra transactionem vero notat Marchio de los Balbases, duo fuisse judicia in hoc Tribunali instituta, quorum primo ipse contendebat, jura pascendi, aquandi, pernoctandi, & lignandi, nullo titulo, neque scripto, neque præsumpto, nulloque modo ad Monasterium pertinere; secundo vero prætendebat, citra præjudicium omnium jurium ei competentium, refrænandum interim esse numerum animalium, quem Monasterium ipsum in *Domania* Ginusii immittebat, ad quantitatem, quam quilibet civis immittere poterat. Exceptiones in primo judicio a Monasterio propositæ in privilegiis innitebantur, titulum probantibus, sive antiquissimam immemorabilem possessionem; sed his utut non autographis se opponente Marchione de los Balbases, replicabat Monasterium, autographa privilegia in suo Archivo conservare, ac de ea causa illa non produxisse, ne alias amitti contigisset, *fol.*112. 3. *vol.* Huic replicationi acquievit Marchio S. Caroli Procurator Marchionis de los Balbases, & tanti eam habuit, ut, quin autographa privilegia intueretur, transactioni se subscripserit; cum si pro autographorum exhibitione institisset, ut par erat, illa ann. 1488. 1507. & 1533. non exstare, comperisset; instrumentum vero anni 1233. falsum esse, vel falsi suspectum.

Præterea in eadem transactione affirmatur, illa privilegia pro veris & subsistentibus in solemni inventario de ordine Reginæ Joannæ anno 1500. confecto, habita fuisse: quod quidem temere credidit Marchio S. Caroli; cum si vel perfunctorie inventarium legisset, nullum in eis

eis verbum fieri de privilegiis, ac de Ginusio, animadvertisset.

Accedit, quod in transactione anni 1741. conventum fuit, licere Monasterio ejus animalia immittere in omnia *Domania* Ginusii, *tanto se siano quelli detti della Marina, quanto se siano quelli detti delle Montagne*, *fol.*119.3.*vol.* quod sane demonstrat, Marchionem S. Caroli deceptum fuisse; quia *Domania della Marina* non sunt Ginusii, sed Girifalci; quod feudum est a Ginusio distinctum & separatum; adeo ut cum anno 1645. hanc ejus animalium immissionem in *Domania della Marina* prætendisset Monasterium, sequens sub die 17. Februarii illius anni prodiit decretum: *Provisiones expeditæ per Regiam Cameram debitæ executioni demandentur absque aliqua innovatione*, *fol.*98. 1.*vol.* & *fol.*9.*proc.Comprom.*

Prædictis vero licet respondere studuerit Monasterium, quod Girifalcus pars sit Ginusii; quodque antedictum decretum anni 1645. nullam habuerit executionem; unde orta hinc controversia, primo anno 1731. *fol.*9 *proc. Compr.*, & inde anno 1769., fuit ordinatum capiendam informationem, prout capta fuit, nondum decisa, *proc. separat.*; replicatur nihilominus a Marchione de los Balbases, monstruosum esse, quod controversia hujusmodi nondum decisa, immo nec citata in instrumento transactionis, Monasterio facultatem indulserit Marchio S.Caroli immittendi ejus animalia etiam in *Domania della Marina*.

Respectu vero utilitatis, quam Marchionem de los Balbases ex transactione consecutum esse, affirmat Monasterium, licet duo considerentur, nimirum refrænatio numeri animalium ad 3000. ovium, *fol.*118. & 168.3.*vol.* & ratihabitio alienationis defensarum *Galasi*, & *Pantani*, factæ ab ipso Monasterio anno 1666. in beneficium Marchionis de los Balbases, cum cessione cuicumque rationi, & actioni dicendi de læsione, *fol.* 121. s

 ni-

nihilominus respondit Marchio de los Balbases, respectu primæ utilitatis, nullam in transactione, de qua agitur, considerari posse inter datum & acceptum, id est inter dubium tituli, & privilegiorum, ac numeri animalium refrænationem. Datis enim pro veris & subsistentibus privilegiis prædictis, nusquam illimitata, & absque ulla regula essent intelligenda; sed tantum pro usu proprio, non pro industria & mercatura; hinc etiam pro executione assertorum privilegiorum vix ad 3000. ovium numerus animalium, quæ Monasterio in *Domania* Ginusii immittere licebat, potuisset ascendere.

Discretam vero privilegiorum circa numerum animalium intelligentiam, non autem illimitatam probat praxis per totum Regnum inter Cives, juribus id generis fruentibus, servari solita; & respectu Monasterii etiam probant textus in *Cap. Quamquam 4. de censibus*, & in *Cap. Suggestum 9. de decimis*, & ibi glossa; sicque ferunt decisum *Larrea alleg. fiscal. III. n. 35. lib. 2*, *& Ageta ad Moles §. 14. n. 21. de jurib. poss.*: idque in facto suo non deficit fundamento; defensas enim prædictas Petrum de Balzo Baronem Ginusii Monasterio donasse refert *P. Tansi* in *historia chronolog. ipsius Monasterii*, *fol. 121*. Hic vero Petrus cum ob delictum feudorum devolutionem passus fuerit, fuerunt illa per Ferdinandum Regem concessa *esenti da ogni pregiudizio irrogato da' predecessori Baroni*, *fol. 418. 5. vol.*; unde cum defensæ prædictæ ad feudum pertinerent, & ipsi essent reintegrandæ, plane constat Marchionem de los Balbases rem propriam emisse, ipsumque potius fuisse deceptum, non autem venditores.

Respectu vero secundæ utilitatis a ratihabitione desumptæ alienationis defensarum *Galasi*, & *Pantani*, factæ per Monasterium anno 1666. in beneficium Marchionis de los Balbases, irrisu digna prætenditur, quia cum emptor ex Magnatibus Hispaniarum longissime ab hoc Regno dista-

distaret, in quo Monachi venditores habitabant, verisimilius est, emptorem potius fuisse deceptum, quam venditores.

Quarto denique ad transactionis nullitatem repellendam, fuit pro parte Monasterii deductum, quod transactio prædicta licet nullo dato futuris vocatis Curatore processerit, & absque prævio decreto si vel ne transigere expediret; valida nihilominus sit, quia cum feuda in Regno mixta sint, & hereditaria, ad observantiam ipsius transactionis cum Marchione de los Balbases conventæ hodiernus Marchio ejus filius tenetur stare. Sed pro parte præfati Marchionis de los Balbases respondetur, argumentum prædictum locum suum habere, & procedere, cum in feudo ex lege investituræ simpliciter succeditur, ut tunc successor facto defuncti stare teneatur, non autem cum feudali investituræ majoratus ab homine dispositus accedat, prout disponi posse, & dispositum intelligi debere ex speciali gratia omnibus Baronibus concessit Philippus III. Rex in *Pragm.* 33., & Philippus IV. in *Pragm.* 34. *de feud.*, super qua bene ad rem scribit *Josephus Sorge cap.* 27. *n.* 20. *tom.* 5. De majoratus vero institutione, secundum prædicta, constat ex decreto spectantiæ inter alia feudi Ginusii anno 1760. expedito per M. C. V., in cujus processu non unum, sed tria reperiuntur præsentata majoratus instrumenta; nimirum ann. 1655. 1695. & 1721., *fol.* 50. *proc. M.C.V.*

Ex prædictis vero concluditur pro parte Marchionis de los Balbases, transactionem, de qua agitur, velut fraude & dolo extortam, & nulla servata juris regula conventam, nullam esse, nec ipsum ad ejus observantiam teneri. Sunt ad id textus expressi in *L. Qui per fallaciam coheredis ignorans universa, quæ in vero erant, instrumentum transactionis sine aquiliana stipulatione interposuit, non tam paciscitur, quam decipitur*. In *L.* 1. *§. ult. ff. ad Sen. Conf. Tertull.*: *Quod ait Senatus, quæ ju-*

 dica-

dicata, transacta, finitave sunt, rata maneant, ita intelligendum est, ut judicata debeamus ab eo accipere, cui judicandi jus fuerit; transacta scilicet, bona fide, ut valeat transactio; finita, vel consensu, vel longo silentio sopita: & in *L.* 36. *de verb. oblig.*: *Si quis cum aliter eum convenisset obligari, aliter per machinationem obligatus est, erit quidem subtilitate juris obstrictus; sed doli exceptione uti potest. Qui enim per dolum obligatus est, competit ei exceptio. Idem est & si nullus dolus intercesserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habet. Cum enim quis petat ex ea stipulatione, hoc ipso dolo facit, quod petit.*

Nec prædictis obstare, inquit Marchio de los Balbases, transactionem super dubio privilegiorum statu, & veracitate conventam validam esse, prout valida est transactio dolosa, si super dolo ipso transactum est, ut statuit textus in *L.* 4. *&* 41. *Cod. de transact.* Respondetur enim, textus prædictos de dolo esse intelligendos commisso ante transactionem, non autem in ipsomet transactionis actu, prout in transactione contigisse constat, in qua Monasterium autographa privilegia in ejus Archivo conservare firmiter asseruit, cum non haberet. Transactionis vero, de qua agitur, nullitatem adeo nitidam esse, inquit denique Marchio de los Balbases, ut etiam ab ipsomet Marchione ejus patre nullam declarandam esse instari potuisset, qui nusquam eam voluit ratam habere; & majori quidem ratione nulla ad ejus instantiam declarari debet, eo vel maxime quia cum Marchione Sancti Caroli fuit stipulata, qui nonnisi Procurator erat vigore mandati procurationis, in quo de transigendi facultate nullum verbum habetur, unde etiamsi ex clausulis in eo contentis deprehendi aliquo modo possit, semper tamen in Procuratore summa vigilantia, & bona fides plusquam in constituente præponderare debet, ne alias mandati fines excessisse dicatur.

Præ-

Prædictis omnibus spectatis, instabat Marchio de los Balbases, nedum super nullitate transactionis esse per Regiam Cameram pronunciandum, verum super petitorio, & causa principali, sive pertinentia jurium pascendi, aquandi, pernoctandi, & lignandi: Quamvis enim transactio rei judicatæ pariat exceptionem, & litis ingressum impediat, cum tamen secundum leges hujus Regni omnes peremptoriæ exceptiones ad merita causæ reservari debeant, transactione propterea per nullitatem de medio sublata, potest super causa principali eodem tempore pronunciari.

Sed Regia Camera censuit, sublata de medio per nullitatem transactione, causam in statu, in quo ante transactionem reperiebatur, esse reponendam, ac proinde terminum usque ab anno 1580. impartitum, & anno 1642. confirmatum, esse omnino compilandum, eoque nondum compilato, de causæ decisione nullatenus agi posse; idque juris communis dispositioni apprime convenire; etenim cum transactio obstet, ea de medio per sententiam transactam in rem judicatam nondum sublata, causa principalis, super qua transactum est, silere debet, ut monuit Josephus Urceolus in ejus tractatu *de transact. quæst.*45. *n.*28. *& quæst.*70. *fere per tot.*

Ista vero juris regula, quæ locum certe habet cum stipulata super aliqua controversia transactione, litem unus ex transigentibus moveat, ut nedum super transactionis nullitate, verum etiam super meritis rei transactæ uno eodemque tempore justitiam consequi non possit; multo magis procedit, cum lite instituta, & impartito jam termino inita est transactio; tunc enim, si transactionem nullam esse aliquis ex transigentibus prætendat, causa principalis, donec transactio de medio tollatur, silere debet, eaque de medio sublata, compilato prius termino, de litis decisione, super qua nulliter transactum fuerat, tractari potest.

Nec

Nec sub silentio prætereundum est, quod leges hujus Regni, exceptiones peremptorias ad merita causæ reservandas mandantes, non procedunt cum de exceptionibus agitur, impedientibus litis ingressum, prout impedit transactionis exceptio juxta ea, quæ tradit *Urceola de transact. qu.* 70. *n.* 30.

Licet vero in hac causa de termini impartitione constet ex decreto Regiæ Cameræ sub die 7. Septembris 1768., ejusque compilatione; respicit tamen terminus prædictus impartitus transactionis nullitatem, non autem merita causæ principalis, de qua in capitulis præsentatis pro parte Marchionis de los Balbases ne quidem verbum habetur.

Ex prædictis omnibus, maxima prævia causæ discussione, in hunc, qui sequitur, modum Regia Camera pronunciavit, nimirum: *Ill. Marchionem de los Balbases non teneri ad observantiam transactionis anno* 1741. *in stipulatu reductæ. Respectu tamen judicii petitorii super pertinentia jurium pascendi, aquandi, pernoctandi, & lignandi, terminus alias datus anno* 1580. *fol.*167.*vol.*1., *& anno* 1742. *confirmatus fol.*188., *currat, & currere intelligatur ab hodie; & interim, citra præjudicium jurium ambarum Partium, liceat Ven. Monasterio S. Michaelis Archangeli Montis Caveosi, præstita cautione de solvendo quicquid fuerit judicatum, immittere quotannis in Domanialia Ginusii* 4000. *ovium*.

Carolus Vitale Act.

In

In causa appellationis a decreto definitivo lato a Regia Dohana Menæpecudum Apuliæ in causa retractus jure congrui inter Michaelem qu. Viti Colella, & Canonicum D. Joannem Baptistam Ladisa. Die 12. Septembris 1775. Referente Ill. Marchione Domino Præsidente D. Angelo Granito.

Venditio sub hasta impedimento non est, quin vicinus fundi venditi retractum petere possit.

REgia Dohana decreto lato die 9. Aprilis 1773. *fol.* 88. condemnavit Canonicum Ladisa ad relaxandum Michaeli Colella fundum in actis deductum, vi retractus jure congrui ab eodem Michaele petiti. Canonicus Ladisa appellavit ad Regiam Cameram, atque illud decretum revocandum contendebat, quia venditio peracta fuerat sub hasta Regiæ Curiæ Civitatis Barii; & propterea petitio retractus facta post dies 30., fuit extra tempus Regali Constitut. *Sancimus* præscriptum, *fol.* 4. Visis autem omnibus actis, Regia Camera audito Domino Fisci Patrono, decrevit: *Bene judicatum per Regiam Dohanam in decreto lato sub die 9. Aprilis* 1773., *& male appellatum per Canonicum Ladisa*. Quia venditio facta sub hasta, licet bannis denuncietur omnibus, nullam tamen vicinis prælationem concedit; quum tam ipsis, quam non vicinis offerendi tribuat facultatem. Præterea denunciatio vicinis facienda est, perfecto jam contractu, ut ex pretio valeant deliberare, num prælatione uti debeant; banna vero ista nec in locis publicis dictæ Civitatis fuerunt affixa, (ut ex attestatione Magistri Actor. ejusdem) quæ loco denunciationis esse possunt, venditionem præcedunt, nec de pretio vicinos certiores faciunt, ut ex dicta Constitut. *Sancimus, de jure protomis.*

Bellisario Act.

In

In causa Regii Fisci cum magn. Procuratore hujus Fidelissimæ Civitatis. Die 20. Decembris 1775.
Referente Ill. Marchione Domino Præsidente D. Laurentio Paternò.

Concessio officiorum, quæ ad Principatum spectant, a Prorege facta, nonnisi a Principis ratihabitione legem sumit.

MOre Majorum conventis quatuor Curiis, sive Plateis hujus Fidelissimæ Civitatis, Ill. Comite de Monterey Prorege petente, nomine ejusdem Civitatis statutum fuit, ut suos quæque Curia certos homines seligeret, qui accuratissime providerent, quo pacto Regi in pecuniæ difficultatibus versanti, quam minimo civium incommodo, opportune succurreretur, usque ad summam 100000. ducatorum annuorum; iisdemque, ut jam consueverat, imperatum fuit, ut diligenter animadverterent, ecquid publice conducibilius ab Rege peti posset; atque in Curiæ Montanæ Scito insuper adjectum fuit, ut inter cetera præcipue pro concessione officiorum Portulaniæ, Justitiariatus majoris, & vectigalis meretricii supplicaretur, *fol.79.* Ex conclusione Deputatorum, præter ea, quæ pertinent ad modum propositum pro colligendo pecuniarum numero Regiæ Curiæ tribuendo, & illud colligitur, donativum scilicet eo alacrius & libentius fuisse comparatum, quod Ill. Prorex Fidelissimæ Civitati concessisset supradicta officia, & vectigal meretricium, quibus concessionibus in posterum obviam iretur fraudibus possessorum, per quos non parum negotii civium tranquillitati facessebatur; additumque præterea ea conclusione, ut, donec ejusmodi concessio Regia authoritate, ac jussu confirmaretur, quam quidem confirmationem ipsemet Prorex in se ipsum procurandam susceperat, interea temporis tradi deberet possessio, sive *tenuta* officiorum, *fol. 85.* Hujusmodi Deputatorum conclusioni, omnibusque in ea contentis authoritas accessit Collateralis Consilii, *fol.88.*

Ex epistola Serenissimi qu. Regis Catholici Philippi IV. diei

diei 2. Martii 1635., cujus exemplar penes acta in forma legitima exhibitum, & quæ etiam in volumine Capitulorum, & Gratiarum hujus Fidelissimæ Civitatis habetur typis impressa, illud habetur, quod Rex, ut satisfactum iret epistolis, quas a Prorege, & a Deputatis hujus Civitatis sub die 10. Decembris antecedentis anni acceperat, ait, ex iisdem satis intellexisse, quæ circa donativum annuorum duc. 100000. decreta fuissent; prout etiam probe perspectas rationes, quibus Prorex ad concessionem officiorum ductus fuisset. Hinc velle, & jubere, ut per eundem Proregem Cives intelligerent, quam grato & benevolenti animo donativum acceptum ferret; traderet urque simul Electis Civitatis epistola, quæ idem testaretur. Quoad vero confirmationem officiorum benigne annuere, eo potissimum, quod concessio facta fuisset eodem pacto de retrovendendo, quo antiqui possessores jamdiu eadem officia tenuerant; ita ut quandocumque restitutis pecuniarum quantitatibus, quæ distincte in eadem epistola enumerantur, officia a Regia Curia possent recuperari, *fol.25.vol.2.*

Habetur insuper ex instrumento diei 5. Januarii 1635., eumdem Proregem, post assertas conclusiones tam singularum Curiarum, quam Deputatorum, necnon decretum Collateralis Consilii, tradidisse & concessisse huic Fidelissimæ Civitati officia, & vectigal meretricium; servataque forma conclusionis Deputatorum promisisse curare, ut infra sex menses per Serenissimum Regem concessio rata haberetur, *fol.* 218. *vol.* 1. Alio vero instrumento diei 18. Decembris ejusdem anni, occasione tradendi residuam quantitatem donativi, iidem Deputati confessi sunt dicto residuo per ipsos adimpleri, stante confirmatione concessionis (scilicet officiorum, & vectigalis) a Rege obtenta, mediantibus literis, quarum tenor inseri mandatur, *fol.* 165.

Disputatum est in Regia Camera de facultate Regiæ Cu-

riæ competenti officia Portulaniæ, & Justitiariatus *Grassiæ* reemendi. Pro reemptione institit Regii Fisci Patronus, *fol.*275. *vol.*1. & *fol.* 20. *vol.*2.; termino impartito, nonnulla documenta Procurator Fidelissimæ Civitatis exhibuit, de quibus in ratione decidendi amplius differetur; testes quoque, eo instante, examinati sunt, *fol.* 143. *vol.* 2. Relationem, Regiæ Cameræ ordine inde confecit Rationalis Cedularii, in qua, præter rationum monumenta per utramque partem allegata, calculus quantitatum per Regiam Curiam persolvendarum in casu reemptionis, vigore legis in concessione adjectæ, subjicitur, *fol.*250. *vol.*1.

His peractis, ac monitione ad sententiam prolata, petiit Procurator Fidelissimæ Civitatis, ut adigeretur Procurator Regii Fisci ad exhibenda ex Regio Archivo exemplaria quarumcumque epistolarum a Prorege vel missarum, vel a Serenissimo Rege receptarum, occasione donativi, & gratiarum supradictarum; & præsertim cujusdam epistolæ diei 11. Februarii 1634., qua modus venditionibus fundorum fiscalium ad cogendas pecunias ad Curiæ opus servandus præscribirur, & interim differri judicium; vel saltem ut eodem judicio, quo Regia Camera super petita reemptione pronunciaret, aliud judicium restitutionis in integrum expleretur, quod in Regia Camera pendet adversus decretum diei 12. Martii 1768., quo tributum fuit Fisco jus reemendi a consignatariis vectigal medii grani super quovis rotulo comestibilium, *fol.*317. *vol.*2.

Inspectis omnibus actis, Regia Camera, adjunctis Dom. Reg. Conf. D. Carolo Paoletti Præfecto S.R.C., D.Dominico Potenza, & D. Salvatore Gentile, auditoque Regio Fisco, pronunciavit: *Licere Regiæ Curiæ reemere ab hac Fidelissima Civitate officia Portulaniæ, & Justitiariatus pro summa ducatorum* 180250, *juxta liquidationem factam per magn. Rationalem Cedularii; & fiat consultatio S.R.M.*

Ra-

Ratio decidendi hæc fuit. *Prag.* 14. *de feudis* interdictum fuerat Proregibus, qui futuri essent in hoc Regno, assentiri venditionibus feudorum, quæ in manus mortuas pervenirent. *Pragm.* 4. *de officiis ad S.R.M. spectantibus* declaratum, officia strictioris adhuc juris, quam feuda, esse censenda; ita ut quæ super feudis jure prohiberentur, multo magis etiam de officiis intelligenda essent. *Pragm.* 1. *&* 2. *sub eod. tit.* vetita pariter fuit Proregibus provisio officiorum, quorum unumquodque salarium haberet, quod centusses excederet. *Pragm.* 72. *de offic. Procurat. Cæs.*, lata ante quatuor menses, quam cessio fieret officiorum Portulaniæ, & Justitiariatus, cautum, ut nullus admitteretur, nec ad simplicem possessionem officiorum, nisi qui antea exhiberet privilegium, propria manu Regis subscriptum.

Hisce ex legibus Regia Camera pro comperto habuit, vim omnem, & robur concessionis officiorum controversorum unice a Regia ratihabitione pendere; & ideo cum ex contextu literarum Regiarum diei 2. Martii clare pateat, non alias ratam habitam fuisse concessionem officiorum, nisi cum eodem pacto reemendi, quo cum ab antiquis possessoribus tenebantur; hinc procul dubio habitum; hanc fidelissimam Civitatem hac lege usque adhuc officia possedisse, scilicet, ut quandocumque Regiæ Curiæ videretur eadem officia reemere, pretio in Regiis litteris taxato, liceret. His additum, quod, ad normam dictarum legum circa potestatem Proregis, conclusionibus Platearum, & Deputatorum, & Instrumento, quo Prorex officia tradidit Deputatis, videbatur conventum fuisse; nam conclusionibus supplicatum fuerat, Prorex, curaret, ut per Principem concessio confirmaretur; nec aliud interim quam possessio, sive *tenuta* permitteretur; & Prorex vicissim sollemni stipulatione, & absolute spoponderat, se infra sex menses Regis ratificationem procuraturum: Obtenta autem Principis con-

firmatione, ambigi non posse visum est, Deputatos hujus fidelissimæ Civitatis legem, in ipsis Regiis litteris dictam super pacto de retrovendendo, notam ratamque habuisse: nam & in litteris Regiis ad Electos Civitatis scriptis, & quæ typis impressæ habentur in libro capitulorum, & gratiarum, & quorum idcirco autographum verosimiliter in Archivo Civitatis esse debet, clare habetur, quæ Regi circa concessionem officiorum placuissent, ipsos Electos a Prorege intelligere debuisse; & litteris ad Proregem missis mandatur, ut de iis, quæ ad ipsum super hac eadem re scriberentur, certiores faceret Electos Civitatis. Hinc factum, ut in Instrumento diei 12. Decembris 1635. assereretur a Deputatis, petitam confirmationem a Rege jam obtentam fuisse, mediantibus Regiis litteris, quarum ideo, ex conventu Proregis scilicet, & Deputatorum, tenor in ipso Instrumento inseri statuitur: quod tamen ex incuria Notarii, & non aliter videtur omissum.

Apertissimam tamen hanc scientiam, & ratihabitionem Civitatis profitetur liber ipse capitulorum, & gratiarum hujus fidelissimæ Civitatis, diu ante litem motam impressus; nam alia charta confirmationis gratiæ concessionis officiorum ibidem non legitur, nisi quæ in actis perhiberetur; & notandum non aliunde usque in præsentem diem notitiam Privilegiorum Civitatis in forensibus negotiis haustam esse, quam ex libro hoc typographico, & ex quo etiam allegata fuit in præsenti judicio altera illa confirmatio in forma communi ab hac Civitate obtenta anno 1720. a Serenissimo qu. Imperatore Carolo VI.; quamvis nil novi eadem gratia additum fuerit, nisi ratam haberi concessionem; quatenus tamen in possessione Civitas extitisset, scilicet iisdem legibus, quibus concessio jam facta fuisset.

Inania post hactenus dicta, & diligenter animadversa prorsus habita per Regiam Cameram; quæ tam aperto Regiæ

giæ Curiæ juri per Procuratorem Civitatis opponebantur; & primo nil ad rem facere visum assertum rescriptum sub nomine Ducis Caivani, cujus exemplar ab originali sistente in Archivo Civitatis exaratum testatur quidam Thomas Gratiuso, qui Consecretarius Civitatis appellatur, *fol.* 223. *pr. vol.*. Nam cum supponatur, Ducem Caivani, utpote Regni Secretarium, mandasse Deputatis, Proregem jam concessisse officia petita, absque tamen pacto de retrovendendo, id datum tamen fuisse præsefert sub die 31. Decembris 1634. post Conclusionem Civitatis per Collaterale Consilium jam rite probatam. At in hac eadem Conclusione nulla mentio derogationis pacti de retrovendendo; quin immo & ita rescriptum fuisset post relationem jam Principi missam super gratiis concessis, in qua tamen non alias concessionem factam, nisi cum pacto de retrovendendo, Prorex renuntiaverat: Hinc si adhuc dubitari non posset de genuinitate ipsiusmet rescripti; tamen nullius roboris habendum esset, cum post relationem Principi factam aliquid in negotio mutari per leges antiquissimas, semperque probatas, nefas sit, *l.* 1. *&* 3. *cod. de relat.*

At vehementer suspecta fides rescripti; nam præter quamquod in compilatione termini nil circa ipsius genuitatem, ut par erat, probatum fuit, quampluribus etiam argumentis verisimile visum fuit, esse suppositicium. Etsane rescriptum ait, Proregem concessisse officia absque pacto reemendi, sed & derogatio hæc pacto de retrovendendo nec petita fuerat per Deputatos; nec ad eamdem formam erat, qua rem gestam fuisse Regi nunciatum fuerat, nec tandem in Instrumento post dies sex celebrato, nempe sub die 5. Januarii, nullam ipsius mentionem factam fuisse, evidenter constat.

Futilia pariter habita sunt, quæ ex Instrumento diei 20. Martii 1735. per Procuratorem Civitatis allegabantur, scilicet eodem Instrumento per manus Notarii Joannis Ma-

Marini Stinca stipulato, cum Deputati traderent Proregi majorem partem donativi, assertum fuisse concessionem habuisse expressam derogationem pacto redimendi. Nam perlecto Instrumento diei 5. Januarii, cui se refert assertio illa in Instrumento 20. Martii contenta, nec vola, nec vestigium talis derogationis habetur, & ideo assertionis factae per Notarium rei contentae in alio Instrumento per manus alius Notarii stipulato, quae in eodem Instrumento non legatur, nullam rationem haberi posse Regia Camera censuit, ex *leg. si quis C. de edendo.*

A re tamen gesta prorsus absonum visum est, quod opponebatur, nempe si Regia Curia vellet pactum redimendi exercere, restituere integram quantitatem donativi oporteret. Nam concessionem gratiarum, & praestationem donativi correspectiva dici, temerarium visum est, cum procul dubio si gratiae petitae negatae fuissent, adhuc fuisset donatum, ob necessitatem parendi voluntati Principis, cujus solum & unice est in Regno hoc jus, tributa juxta publicam necessitatem indicendi. Quod si Civitas alias fuisset donatura, etiam in defectum concessionis, nulla donativi repetitio esse potest, ablatis officiis concessis, juxta *leg. 2. §. Titio ff. de donat.*

Hisce igitur, & aliis quamplurimis rationum momentis freta Regia Camera, sententiam suam pronunciandam esse duxit pro apertissimo jure Fisci, nihil morata inopportunam petitionem Procuratoris Civitatis differendi judicii, donec adigeretur Procurator Regii Fisci ad exhibendum exemplar legitimum assertae cujusdam Regiae epistolae Philippi IV. Regis diei 11. Martii 1634. *fol. 315. 2. vol.*, in qua Proregi mandabatur, ut venditiones, quae fierent fundorum fiscalium, haberent omnino pactum redimendi; nisi si eo urgeret necessitas, ut etiam absque tali pacto viderentur perficiendae venditiones. Nam Regia Camera existimavit habita etiam pro genuina tali epistola, ex ea potius jus Fisci magis elucescere; siqui-

ſiquidem dum Regis mens fuit, ut venditiones fierent cum pacto de retrovendendo; vel ita rem geſtam fuiſſe ſupponendum eſt; vel ſaltem oportuiſſet in inſtrumento traditionis officiorum declarari ob ingruentem neceſſitatem pactum reemendi inſuper habitum; quod cum nuſpiam legatur, concludendum potius eſt Proregem ita ſe geſsiſſe in conceſsionis negotio, ut enixæ potius Regis voluntati habendi pactum de retrovendendo obſequeretur. Præterquamquod conquirere probationes poſt concluſum in cauſa, & poſt monitionem ad ſententiam, contra ordinem judiciorum eſſe cuilibet patet, & Procuratori Civitatis inſpicere Regia Archiva, ubi chartæ Principum adſervantur per Regium Reſcriptum diei 28. Julii 1774. *fol. 56. ſecund. vol.* omnino illicitum.

Diverſa penitus tandem eſſe judicia reemptionis officiorum, ac reſtitutionis in integrum per hanc Civitatem petitæ adverſus alium decretum Regiæ Cameræ, quo in beneficium Regii Fiſci adſertum fuit, jus reemendi vectigal unius grani pro quolibet rotulo comeſtibilium; ac proinde expeditionem præſentis cauſæ a dicto judicio reſtitutionis in integrum retardandam non eſſe cenſuit.

Redice Act.

TRI-

TRIBUNALIS MAGNI ADMIRATI.

D E C R E T A.

In judicio, quo in Regio Tribunali Magni Admirati fuit Antonino Muollo noxiæ imputata adsistentia, præstita in vulnere, a Jacobo Muollo ejus fratre inflicto Matthæo Muollo eorum patruo, & illius morte inde secuta, audito Domino Regii Fisci Patrono. Die 2. Martii anni 1775.

INspectis omnibus actis respicientibus compilationem hujusmodi judicii, conjicitur ex illis, quod sequitur. Jacobus Muollo nauta die 14. Maii anni 1753. se contulit in tabernam Casceariam Matthæi Muollo ejus patrui, ab eoque adroganter quæsivit, cur ipsi restituisset carolenos 24., & asses 6., quos ipse Jacobus retraxit ex venditione duarum zonarum lanæ, a dicto ejus patruo ei præcedenter traditarum, ut venderet. Ira accensis, ortaque inter eos rixa, manibus invicem se percutientibus, adcurrere Honuphrius, & Josephus Muollo filii dicti Matthæi, in eadem Taberna cum aliis ludentes, qui postquam in terram projecere dictum Jacobum, pugnis, & calcibus illum, ejusque faciem contudere. Ad clamores a dicta rixa productos, adcurrit rubricatus Antoninus Muollo germanus frater dicti Jacobi. Deinde dictus Jacobus effugiens e manibus eorum, & egrediens ex dicta Taberna, statim in illam rediens cultro flexili, quem traxit e pera, feriit sinistrum latus dicti Matthæi, & postea aufugit. Hinc post duos dies vulneratus obiit. Hoc probavit Regia Curia Civitatis Massæ Lubrensis cum informatione per eam capta, *fol.* 1. *ad* 18.. Quum autem fuerit per S. M. ordinatum, quod pro dicto homicidio procedere deberet Tribunal Magni Admirati *fol.* 47., fuit ideo statutum a dicto Tribunali fieri diligentias super actis a dicta Regia Curia transmissis *fol.* 64. Et omissa circumscriptione dictorum actorum, fuit capta alia informatio, & præter alios duos recepti iidem testes, qui obstative sibi ipsis contradicentes, asseruere, quod rubricatus Jacobus Muollo contusus effu-

Judiciaria informatione semel atque iterum peracta, cum testes, primo adhibiti, contrarium secundo deponant, damnari reus non potest.

 git

git e manibus dictorum Matthæi, & Honuphrii, & Josephi Muollo ejus filiorum, & deinde post aliquod tempus rediit associatus cum Ignatio Muollo ejus patre, & rubricato Antonino Muollo ejus fratre, & cultro feriit dictum Matthæum, dum ille narrabat causam præcedentis rixæ. Fuit etiam probata eorum fuga *fol.* 68. *ad* 97.

Ob hanc secundam informationem fuit citatus Jacobus Muollo ad informandum, & capitula, nec non dicti Ignatius, & rubricatus Antonius Muollo ad informandum, cum ordine eorum carcerationis. Deinde post lapsum viginti, & unius annorum comparuit in carceribus hujus Regii Tribunalis rubricatus Antoninus Muollo, & petiit absolvi a dicta adsistentia ei imputata. Fuit recepta ejus depositio, fuit cum particula monitus interrogatus, & datus ei terminus defensionum *fol.*133. *ad* 140., & deinde peracta litis contestatione *fol.* 141., fuit interposita monitio super judicii expeditione *fol.*147.

Perpenso autem, quod obstativa, & irreconciliabilis contradictio conspiciatur inter primam informationem captam a Regia Curia Civitatis Massæ Lubrensis, & illam peractam ab hoc Tribunali, quandoquidem in prima tum vulneratus, tum testes asseruere, orta rixa inter occisorem Jacobum, & Matthæum Muollo, adcurrisse rubricatum Antoninum ad clamores dicti Jacobi ejus fratris, qui in terra percutiebatur pugnis, & calcibus tam a dicto Matthæo, quam a duobus illius filiis, & deinde effugisse ab illorum manibus, & nullo interjecto temporis spatio rediisse, & vulnerasse dictum Matthæum. Iidem tamen testes in secunda informatione contrarium asseruere, nempe Jacobum Muollo effugisse e manibus percussorum, & deinde post aliquem temporis cursum rediisse cum Ignatio ejus patre, & rubricato Antonino ejus fratre, & dictum Matthæum feriisse. Nequit quidem obstativa contradictio claudere veritatem, nec testibus sibi ipsis contradicentibus potest, nec de-

debet Judex fidem præstare, quoniam si velit existimari vera prima depositio testis; esset ideo falsa secunda. Si autem veram quis credat secundam, esset consequenter falsa prima, & semper testis esset in medio duorum juramentorum, & ideo existimandus perjurus. Hinc debet deferri ei, quod in prima informatione testes asseruere juxta *L.* 2. *&* 3. *ff. de test.*, præsertim quia non fuit interpositum decretum, quo fuisset ordinatum, quod prima informatio circumscriberetur, quod pernecesse fieri debebat, nam prima permanente, nequibat ad secundam procedi. Hisce adjungitur, quod testes in secunda informatione recepti, nullam producunt probationem, quia non citati ad suas peragendas depositiones *fol.* 74. *&* *fol.* 85., & ideo nedum ultronei, sed etiam seductionis suspecti, & nulliter recepti juxta *L. Si quando Cod. de Test. & Rit.* 149. *&* 155. *& argum. L.* 25. *§. sed &, ff. de Procurat.*. Hujusmodi autem seductionis suspicio augetur, quia in secundis depositionibus dictorum testium non adducitur pro illis causa, ob quam contrarium asserebant. Perpenso etiam, quod etiamsi attendi vellent secundæ depositiones dictorum testium, non depromitur ex illis, quod longum tempus transierit, usquedum rubricatus Antoninus cum dicto Jacobo, & Ignatio ejus patre se contulit in vulnerati Tabernam, neque colligitur, quod dictus rubricatus habuerit scientiam ejus, quod præcedenter dictus Jacobus suus frater fuerit passus. Quapropter quum nequeat ulterius in carceribus detineri dictus rubricatus Antoninus Muollo, tum ob dictam primam informationem, tum ob secundam contradictionibus, & nullitatibus subjectam; hinc Dominus Miles U. J. D. D. Petrus Forte Advocatus Neapolitanus, & Judex Regii Tribunalis Magni Admirati decrevit: ***Rubricatus Antoninus Muollo pro enunciata ejus inquisitione consignetur in forma.***

Pijacane Act. Mag. Serena Scriba Fisc.

In

In judicio, quo in Regio Tribunali Magni Admirati fuere a Catharina Exposita accusatæ Rosalina, & Joanna Daniele germanæ sorores, nec non Margherita Montagna earum mater, quod pluribus realibus injuriis eam affecerint, ob quas passa illa fuerit dispersionem fœtus, quem trium mensium cursu gestabat, certioratis tum accusatrice, tum accusatis, & instante Domino Regii Fisci Patrono, quod dicta Rosalina exulet ab hac Civitate, & Pagis, & quod mandatum passum cedat in pœnam Margheritæ Montagna, & Joannæ Daniele, facta per easdem obligatione sub pœna Pœnitentiæ ad arbitrium hujus Regii Tribunalis de non offendendo accusatricem, & de non transeundo per illius domum. Die . . . anni 1775.

Corporis delicti probatione deficiente, contradictionibusque Fiscali probatione referta, liberandus est reus.

EX omnibus actis, respicientibus hujusmodi judicii compilationem, depromitur, quod sequitur: Catharina Exposita die 23. mensis Septembris elapsi anni 1774. asseruit in hoc Regio Tribunali Magni Admirati, Rosolinam, & Joannam Daniele eam domi suæ morantem pluribus convieiis affecisse, & inde manibus fuisse aggressas, & suarum manuum unguibus variis livoribus, & lacerationibus scalpsisse ejus brachia, ejusque caput contudisse, & postea dictam Rosalinam manibus ejus ventrem contorsisse, & subponentem inter ejus femora manum, minatam fuisse velle ei uterum excerpere. Subjunxit, passam fuisse ob hujusmodi injurias abortum foetus, quem trium mensium cursu gestabat. Prius fuit ordinata extrajudicialis, deinde judiciaria informatio *fol.* 1. *ad* 31. Deinde recognita dicta Rosalina per testes fiscales, fuit carceribus mancipata *fol.* 32. *ad* 34. Comparuerunt postea dictæ Margharita Montagna, & Joanna Daniele die 7. mensis Februarii currentis anni 1775. & fuere relaxatæ cum mandato per Civitatem *fol.* 41. Tandem receptis earum depositionibus, interrogatis illis cum particula *Monitus*, datisque eis defensionibus, & illis compilatis, interpositaque monitione super judicii decisione, fuit ut supra instirum a Domino Regii Fisci Patrono *fol.* 42. *ad* 51., *& a fol.* 1. *ad* 18. *vol. defens.*

Probatio autem fiscalis quum ratiocinationi subjiciatur, conspi-

ſpicitur, nedum falſitatis ſuſcepta, ſed evidenter falſa, quandoquidem multiplicibus obſtativis contradictionibus referta. Accuſatrix enim aſſeruit in ſua jurata depoſitione, quod eodem die, quo inflictæ ei fuere injuriæ, nullum reperiſſe Dianoram Carrano obſtetricem periculum abortus *fol.* 9. *a t. verſ.* 12. *vol. inform.* Contrarium quidem dicta obſtetrix cum juramento enarravit, nempe reperiſſe dictam accuſatricem hujuſmodi periculo ſubpoſitam, quamobrem plura ei præſcripſiſſe medicamina *fol.* 30. *verſ.* 20. *vol. inform.* Hujuſmodi ſane obſtativæ contradictioni inter dictam accuſatricem, & obſtetricem adjungitur alia etiam obſtativa contradictio, qua eadem obſtetrix aliud aſſeruit in fide per eam coram Notario peracta, in qua fuit teſtata nullum tunc inveniſſe abortus periculum *fol.* 2. *vol. inform.* & aliud contrarium in ſua jurata depoſitione, qua enarravit dictum periculum reperiſſe *fol.* 30. *vol. inform.*

Depromitur ex ipſa fiſcali probatione altera magni momenti obſtativa contradictio inter eaſdem teſtes fiſcales, & ipſam accuſatricem. Deponunt autem dicta accuſatrix, & magnifica de Pierno teſtis fiſcalis, quod abegit fœtum, qui figuram parvi ſacci præſeferebat in nocte, quæ ſecuta fuit diem 23. menſis Septembris 1774. in pelvim æream cum multo ſanguine, qui ex utero fluxit, & quod illius vir tam dictum fœtum, quam ſanguinem eadem nocte in cloacam dejecit *fol.* 10. *verſ.* 1. *& ſeqq.*, *& fol.* 23. *verſ.* 1. *& ſeq. vol. inform.* Tres autem teſtes fiſcales, nempe Sancta Varleſe *fol.* 18. *verſ. penul.* Agnes Pecorino *fol.* 20. *verſ.* 18., & Cajetana Piſacane puella annuorum 14. ſine juramento recepta *fol.* 25. *verſ.* 11. *vol. inform.* deponunt, quod cum mane ſequentis diei ſe contuliſſent domum accuſatricis, cujus erant diſcipulæ, videre in dicta ærea pelvi dictum ſanguinem, & fœtum.

Perpenſo hinc, quod veritas, quæ debet ſumma cura in judi-

judiciis perquiri, sit unum totum individuum, indivisibile, nullisque contrarietatibus obnoxium, & cujus partes uniformi rectitudine ad idem totum constituendum concurrant; nequit consequenter existimari veritas id, quod repugnantiis, absurdis, & contradictionibus subjacet, & ideo nequit judicis religio, & ratiocinatio deferre hujusmodi contradictivis attestationibus fidem. Sat enim est notum, quod Judex credens verum unum, debeat & alterum falsum opinari, & opinans alterum verum, debeat primum falsum existimare: nequit veritas adesse in medio contradictionum, quæ illam nedum destruunt, sed falsitatis subministrant certitudinem juxta *L. 2. ff. de Test.* Scire enim debet Judex, ac potest, quanta fides adhibenda sit Testibus juxta *L. 3. ff. de Test.*, an amici, an domestici, an inimici, vel lucri, vel gratiæ causa, confirmabitque animi sui motum ex argumentis, & testimoniis, quæ rei aptiora, & vero proximiora esse compererit; juxta *L. 21. ff. de Test.*

Præsertim quia in casu præsenti deficit probatio corporis delicti, nempe abacti fœtus, quod debebat esse judicii fundamentum. Nec videtur suppletum ex depositionibus peritorum, tum quia illi ratiocinantur super depositionibus dictarum Testium fiscalium, tot contradictionibus conspurcatis, tum etiam quia iidem periti opinantur, quod globus ille in pelvi cum sanguine conspectus, poterat esse sanguinis densati volumen. Deficiente enim basi, totum corruit ædificium. Hisce adjungitur quod ipsa accusatrix non asserit, fuisse per rubricatam Rosolinam subpositum brachium inter ejus femora, uti deponunt dictæ tres Testes fiscales, quod asseruisset, si fuisset verum. Tandem e quatuor fiscalibus Testibus una erat accusatricis amica, & aliæ tres ejus discipulæ. Ex hisce ratiocinationibus prono fluit alveo, quod licet debeat existimari verum, se contulisse rubricatas Rosalinam, & Joannam Daniele domum accusatricis uti illæ faten-

fatentur, abortum tamen nunquam extitisse. Hinc Dominus Miles D. Petrus Forte Advocatus Neapolitanus, & Judex Regii Tribunalis Magni Admirati decrevit: *Rubricata Rosalina Daniele inquisita, & carcerata liberetur in forma tamquam innocens pro rubrica, & imputatione dicti abortus, respectu vero rubricæ dictarum injuriarum, carcer, quem passa est, cedat ei in pœnam. Mandatum autem passum cedat in pœnam aliis duabus rubricatis Margheritæ Montagna, & Joannæ Daniele, facta tamen per easdem tres rubricatas ad evitanda scandala, obligatione de non offendendo accusatricem, & Testes fiscales, & de non transeundo per plateam, ubi dicta moratur accusatrix.*

Longo Scriba.

In judicio, quo in Regio Tribunali Magni Admirati Rogerius Olivetta piscator concharum petiit revindicare a Francisco Olivetta ejus fratre ejusdem artis parvam Cymbam. Die 5. Aprilis anni 1775.

PEtiit Rogerius Olivetta, ut sibi a Francisco Olivetta traderetur quædam parva Cymba, quam asseruit esse suam. Excepit Franciscus Olivetta fuisse dictam Cymbam a se emtam, & sua pecunia extractam. Fuit a Francisco Olivetta producta fides peracta a Fabro Lignario, quod ad requisitionem dicti Francisci fuerit a se constructa dicta Cymba & ab eodem Francisco fuisse sibi illius pretium solutum *fol.* 4. Impartito deinde termino summario, fuere a Francisco Olivetta exhibiti plures articuli, sed non producti testes *fol.* 14., & 15. Rogerius autem Olivetta quatuor exhibuit testes super pluribus aliis articulis *fol.* 18. *ad* 24. Quum autem fuerit clausus dictus terminus, & Procurator dicti Francisci Olivetta didicerit testificata, nequivit ideo idem Franciscus suos testes producere; & ordinatum, quod ad ulteriora procederetur pro judicii expeditione *fol.* 29.

Inter fratres, qui in eadem domo degunt, sub eodem tecto, & apud eamdem mensam, quorumque unus alteri alimenta præstat, alter uni omne lucrum tradit, constituta intelligitur communio quædam bonorum, & tacita societas; itaut quod hoc tempore emptum est, communi pecunia emptum esse credatur.

ad 31. Probavit quidem Rogerius Olivetta obiisse Ascanium suum patrem mense Aprilis anni 1764., & tunc ætatem habuisse annorum octo, uti colligitur ex fide peracta a Parocho tum illius mortis, tum ejus baptismatis *fol.* 35. & alitum fuisse a Francisco Olivetta ejus germano fratre, cui ipse tradebat omne id, quod suis laboribus lucrabatur, & tandem ipsum Rogerium persolvisse artifici, qui dictam paruam Cymbam extruxerat, pretium, quod dictus Franciscus suus frater ei tradebat. Probavit etiam se lucratum fuisse qualibet hebdomada carolenos 30. & 40., non adducta tamen per dictos testes causa suæ scientiæ, & post dictam constructam Cymbam, fuisse illi a dicto Francisco ejus fratre abreptam dictis *fol.* 19.

A Francisco autem Olivetta fuit producta attestatio plurium, nempe dictum Franciscum præstitisse alimenta tam Rogerio, quam Januario suis fratribus, qui tempore mortis communis patris erant impuberes, illosque educasse, & artem conchas piscandi docuisse, & duobus abhinc annis cæpisse ad mutuum ab Andrea Ascione ducatos 16., ut dictam extrueret Cymbam *fol.* 32. Exhibuit insuper apocham bancalem dicti mutui a mutuante restitutam *fol.* 28.

Ex desuper adductis, & ex ipsis probationibus peractis a Rogerio Olivetta depromitur, quod sicut Franciscus Olivetta ex una parte ab infantia educavit, & aluit dictum Rogerium Olivetta suum fratrem usque ad illius majorem ætatem, ita ex altera dictus Rogerius tradidit enunciato Francisco suo fratri omne id, quod lucrabatur. Hinc inter eos aderat usque adhuc communio, degentes in eadem domo, sub eodem tecto, & apud eamdem mensam, & focum. Hoc suapte natura ostendit, quod majus fuerit onus, quod Franciscus Olivetta substinuit in educando, alendo, & vestiendo dictum Rogerium suum fratrem, quam id, quod hic lucratus fuit, & di-

& dicto Francisco tradidit, quoniam ab octavo anno, quem dictus Rogerius gerebat mortis patris tempore usque ad pubertatem, paucum debet præsumi, quod poterat lucrari. Quum igitur communio possit coiri vel societate, vel sine societate juxta *L. 2. ff. Commun. divid.*, & societas queat iniri vel tacita, vel expressa, & ut dicitur re, vel verbis juxta *L. 4. ff. pro socio*; hinc quum præstatio alimentorum, quam Franciscus Olivetta substinuit, & lucrum quod Rogerius ex suis laboribus quærebat, & dicto Francisco suo fratri tradebat, constituerit inter ipsos quamdam communionem, & tacitam societatem; colligitur consequenter, quod pretium persolutum pro extructione dictæ paruæ Cymbæ fuerit commune, & utrumque esse illius dominum. Sed quum rei communis, quæ physicam non patitur divisionem, debeat sors staruere ad quem dominorum sit addicenda, uti in similibus casibus præscribunt *L. 5. ff famil. erciscundæ*, *L. 14. ff. de judic.* & *L. 24. §. 17. ff. de fideicom. liberat.*, ideo Dominus Miles U. J. D. D. Petrus Forte Advocatus Neapolitanus, & Judex Regii Tribunalis Magni Admirati decrevit: *Aut Franciscus Olivetta solvat Rogerio Olivetta ejus fratri medietatem pretii dictæ Cymbæ liquidandi per duos expertos partibus non suspectos, & sibi illam habeat: aut dictus Rogerius solvat eidem Francisco ejus fratri medietatem dicti liquidandi pretii, & eam sibi habeat. Si autem sint in hoc peragendo discordes procedatur coram Domino Judice hujus Regii Tribunalis ad sortitionem duarum schedarum, in quarum una describatur dicta Cymba, & in altera medietas dicti liquidati pretii, neutrum litigantem ad expensas litis condemnando.*

Pisacane Act. Mag. Serena Scriba.

Kk 2 *In*

In judicio, quo D. Joannes della Rosa petiit in Regio Tribunali Magni Admirati adstringi Dominicum Palumbo locatorem magnæ Cymbæ, vulgo appellatæ Gozzone, *ad sibi persolvendos ducatos* 20., *in computum conventi nauli ei traditos, ob non ab eo impletam, statuto tempore, transvectionem quorundam bonorum mobilium a Portu Neapolis in ulteriorem Calabriam, & illinc aliorum mobilium, totiusque ejus familiæ Neapolim: & quo dictus Nauta Palumbo postulavit damnari dictum della Rosa ad sibi solvendum integrum conventum naulum, & resarcienda omnia damna, & peractas expensas obtentu, quod noluerit uti dicta conducta Cymba. Die 8. Aprilis 1775.*

Qui a conductione cymbarum, sine justa causa, recedit, integrum naulum persolvere tenetur.

EXpunctis omnibus actis, ex illis eruitur, quod subnectitur. Enarravit D. Joannes della Rosa in hoc Regio Tribunali, se publico instrumento diei 10. Maii elapsi anni 1774. pactum fuisse cum Nauta Dominico Palumbo, ut cursu illius hebdomadæ, qua tale instrumentum fuit confectum, sua cymba, vulgo *Gozzone*, e portu Neapolis adveheret in ulteriorem Calabriam quædam mobilia bona, & litore correspondente Terræ Mammolæ suæ Patriæ oneraret eamdem Cymbam quibusdam aliis mobilibus bonis, ut illa eum sua uxore e Calabria transveheret Neapolim. Subjunxit, quod dum hæc dictus Palumbo implere debebat, locavit alteri enunciatam suam Cymbam, ita ut fuerit ei necesse nuntiare suæ uxori, ut aliam conduceret Cymbam; hine petiit adstringi dictum Palumbo ad sibi restituendos ducatos 20., quos in computum ducatorum 80., promissorum pro naulo, ei tradiderat, & etiam ad sibi omnia damna reficienda, *fol.* 1. Exhibuit copiam citati instrumenti, cujus tenor non respondet ejus assertioni, quia non visitur in illo conventum tempus, in quo Nauta Palumbo debuisset e Neapolis portu discedere, *fol.* 4. Ad probandum tamen, quod dictus Palumbo debuisset statuto tempore ab hoc portu discedere, produxit attestationem ejusdem Notarii, qui dictum peregit instrumentum, qua asserit, post illius stipulationem statuit contrahentes, ut infra eamdem hebdomadam Nauta discederet, *fol.* 3.

Ex-

Excepit Palumbo, non solum adstringendum non esse ad restitutionem ducatorum 20., sed ei esse reficienda a dicto della Rosa omnia damna, & expensas ei illatas, & persolvendos etiam reliquos ducatos 60. pro integro convento naulo *fol.* 12. Firmavit hujusmodi exceptionem, & reconventionem actu quodam confecto a publico Notario, quo protestatus is fuerat die 28. Maii 1774. quod noluisset dictus della Rosa contractum exequi; sed huic protestationi objecit D. Joannes della Rosa ejus responsionem oppositum continentem, *fol.* 13. Impartito termino ordinario, *fol* 10., fuit ille extructus tum testibus a dicto della Rosa *fol.* 23., tum testibus exhibitis a dicto Palumbo, *fol.* 43. & hinc interposita monitio super judicii decisione *fol.* 80.

Duo hinc sunt contractus inter Palumbo, & della Rosa, quorum primus initus sub die 10. Maii 1774. non fuit tempore circumscriptus, posthabita attestatione Notarii, qui temporis limitationem adjectam post contractum asserit; quum nil probet unius testimonium; & quia nihil de hoc testatur Franciscus Pulpo testis productus a dicto della Rosa, qui id debuisset scire, quum fuerit proxeneta hujusmodi contractus, *fol.* 23. Alter autem contractus fuit ille, quo idem della Rosa per suum cubicularium missum Francisco Pulpo, ut hic enarrat, *fol.* 24., permisit dicto Palumbo, ut cursu octo, vel novem dierum transveheret alienas merces, quoniam non erat promptus ad sua transmittenda. Hujusmodi quidem numerus dierum claudicat, quia alter testis ab eodem della Rosa productus, asserit fuisse octo ad decem, *fol.* 27.

Clare inde patet, Palumbum non contravenisse primo contractui, cui erat promptus; & ob quem instruxit Cymbam omni eo, quod erat ei necesse, & persolvit illius Nautis ducatos 30., uti mos est, antequam vela expanderet, sicuti omnes Testes ab eodem Palumbo producti testantur super primo articulo: colligitur insuper, quod secun-

ſecundus contractus præſcribebat, tum quod dictus Palumbo haberet facultatem alteri locandi ſuam Cymbam, & illam a portu Neapolis diſcedendi, & ad illum redeundi infra octo, novem, vel decem dies. Ex natura autem hujus poſterioris contractus depromitur perneceſſe, quod dictus Palumbo debuiſſet invenire alterum, cui ſuam Cymbam locaſſet, quod ad minus præſcferebat duorum dierum ſpatium, & ideo dicti novem, vel decem dies perveniſſent ad diem 24. dicti menſis Maii. Atqui juxta probationes ejuſdem della Roſa appulit Neapolim dictus Palumbo die 27. Maii 1774. Mora ergo temporis conſiſtit in modico ſpatio triduo minori, infra quem probavit dictus Palumbo, nequiſſe redire ob maris ſubmotionem, uti teſtes aſſerunt, *fol.* 26. *&c.*

Nec dictus poſterior contractus reſpiciens iter maritimum, cui hujuſmodi limitatum tempus fuit adnexum, poterat excludere conditionem, ſive exceptionem, ſi periculum naufragii, tempeſtatis, & adverſitas ventorum impediiſſent dicto Palumbo illius exactam impletionem; quandoquidem debebat dictus della Roſa id clare paciſci, & individualiter exprimere; & hinc debet ſibi imputare, quod non expreſſit, juxta *L.* 39. *ff. de pactis*, præſcribentem, nocere iis contrahentibus, in quorum fuit poteſtate legem contractui apertius conſcribere. Cui rationi etiam ſubnectitur, quod pacta, & contractus non amplectuntur caſus fortuitos, quibus nequit quiſque reſiſtere juxta *L. In rebus ff. commodati*. Et etiam, quia generale & indefinitum pactum non extenditur ad id, quod non fuit inter paciſcentes ſpecificatum juxta *L.*4. *ff. ſi quis cautionibus*. Neceſſe ſane erat dicto della Roſa, ut in permiſſione tradita dicto Palumbo expreſſe ſpecificaret, ut quocumque caſu non rediiſſet Neapolim infra dictum tempus, debuiſſet exiſtimari reſolutus contractus. Præterquam quod dicta temporaria permiſſio diſcedendi & redeundi ſuapte natura præſcribebat tum de-

debuisse dictum tempus labi ad damnum dicti Palumbo, quando tardior reditus fuisset productus ab illius voluntate, & non jam a fortuito casu, eo invito, quod debebat dictus della Rosa prævidere, & pacto circumscribere.

Nihil sane obstat quod della Rosa objicit, nempe non potuisse dictum Palumbo discedere, nisi intercedente scriptura, præsertim quia ipse Palumbo probavit consuetudinem, qua nequit locator Cymbarum discedere, nisi obtenta scripta permissione a conductore; quandoquidem sat notum est in jure, debere servari pacta tum scripta, tum verbis inita juxta *L. 17. C. de pactis*.

Sicuti etiam non adversatur alia objectio ejusdem della Rosa, qua substinet, fuisse nullum pactum conventum cum suo Cubiculario, qui nullam de hoc facultatem habebat, & sui culpa dictum Palumbo tardius Neapolim rediisse; quia tempus consumpsit in oneranda carbonibus Cymba. Explorati enim juris est, in obscuris inspiciendum esse, quod verisimilius est; vel quod plerumque fieri solet juxta *L. In obscuris ff. de reg. juris*. Quamobrem quum frequentissimum sit, & quotidie conspiciatur, dominos mittere servos, vel suos famulos, & domesticos ad hujusmodi explendas res, uti est illa, de qua agitur; debet præsumi, vere, misisse dictum della Rosa suum Cubicularium ad nuntiandum Francisco Pulpo, proxenetæ talis negotii, quod non erat promptus, & posset dictus Palumbo alterum iter maritimum peragere. Si autem actum fuisset de contractu magni momenti, tunc opus fuisset mandato expresso, & scripto ad contrahendum. Eadem ratio respicit onerationem factam in Calabria a dicto Palumbo carbonum, quos Neapolim traduxit; quoniam iter maritimum inter Navarchos, & alios Cymbarum locatores sui natura præsefert tum transvectionem mercium a loco, a quo discedunt, tum aliarum traductionem a loco, ad quem appulere. Totum

tum hoc comprehensum hinc erat in permissione dicto Palumbo tradita, alias opus erat limitativo pacto, quo id ei inhiberetur.

Leges autem maritimæ juxta *cap.* 82. Consulatus maris, & terræ sanciunt, debere conductores Cymbarum, qui a tali contractu recedunt sine justa causa, totum conventum naulum persolvere. Nullam habuisse a contractu inito cum dicto Palumbo justam recedendi causam dictum della Rosa, colligitur ex ipsis actis, quandoquidem illa, quam adducit, nempe die 28. Maii anni tempus subjecisse caloribus, qui incommodum attulissent, non subsistit, quum nemo sit qui ignoret, tunc proprium esse tempus, & securius navigandi, quum ver adhuc duret. His igitur omnibus perpensis, & certioratis, auditisque litigantium Procuratoribus, decrevit Dominus Miles D. Petrus Forte Advocatus Neapolitanus, & Judex Regii Tribunalis Magni Admirati: *D. Joannes della Rosa condemnetur ad persolvendos dicto nautæ Dominico Palumbo reliquos ducatos 60. pro complemento integro conventi nauli, & ad litis expensas.*

Pisacane Act. Mag. Vitagliano Scriba.

In judicio, quo primum in Regia Curia Civitatis Puteolorum, & deinde in Regio Tribunali Magni Admirati fuit imputatum nautæ Raphaeli del Giudice, fuisse per eum ferrei cultri ictu sauciatum Raphaelem Ruocco, instante Domino Regii Fisci Patrono damnari eum ad remigandum in Regiis Triremibus per decennium. Die 10. Maji 1775.

Regali Indulgentiæ, qua homicidia *ad propriam defensionem* abolentur, non est locus, cum ad alterius tuitionem homicidium patratum fuerit.

Rixa instanter

EXcussis omnibus actis, quæ ex illis liquent probata, & quæ inde fluunt ratiocinationes, subnectuntur. Quidam Liparæus in litore unius ex Villis pertinentiarum Civitatis Puteolorum die 16. Maii 1773. oblitus fuit nauticam penulam, & saccum, quo obvolvebantur panni lintei. Nauta Joannes Maddaloni apprehendit ea, ut

ut adveheret Puteolos. Hoc sciens Raphael Ruocco, dixit dicto Joanni Maddaluni, quum appulerit ad Puteolorum litus: *ne a li suli ciceruni dicono, che songo Mariuoli? Tu che t'aje rubato lo sacco, si no mariuolo f.*: Respondit ei Joannes Maddaluni: *mannaggia li muorte de mammata, lo sacco, si lo vonno, che se lo vengono a piglià alla casa*. Replicavit hinc ei Raphael Ruocco irritatione submotus: *mannaggia l'anema de li muorti di tutta la razza Maddaluni sbrevognata, e porca f.*

orta, æqualitas armorum, animusque succurrendi, inculpabilem constituunt tutelam, quam ejus, qui in periculo est, frater suscepit; omnis autem excessus, qui in facto considerari potest, puniri debet.

Adstabat prope Raphael del Giudice nauta, qui quum cum matrem haberet cognominis *Maddaluni*, dixit præfato Raphaeli Ruocco: *Tu perchè parli accossi: che c'entrano li Maddaluni: l'aje co chillo, e te la vuoje piglià co tutti li Maddaluni*. Et quum dictus Raphael Ruocco statim respondisset ei: *che si tuosto*: fuit ei ab altero subjunctum, quod talis erat. Hisce, aliisque prolatis verbis, extraxere e peris femuralium gladios, vulgo appellatos *fiamenghi*; quibus, se offendissent, si ab aliis, qui ibi adstabant, non fuissent sejuncti. Adcurrit mater dicti Raphaelis del Giudice, & illum secum duxit suam versus domum, quæ non multum distabat a loco, ubi hæc erat orta rixa.

Deinde idem Raphael Ruocco plures sui gladii manubrio inflixit ictus Tobiæ Ruocco suo fratri, ejusque feriit caput, ad sedandam novam contentionem, quam ille cum Joanne Maddaluni inceperat. Post hæc dictus Raphael Ruocco protulit plura verba adversus eumdem Joannem Maddaluni; qui e cymba conscendens in terram, illiusque gubernaculo ostendit velle offendere illum, quamobrem Joachimus del Giudice, qui inter alios ibi erat, adcurrit, & amplexus Joannem Maddaluni adnitebatur, ut non offenderet Raphaelem Ruocco; qui tamen gladium evaginavit, & progressus fuit ab illo aggrediendum Joannem Maddaluni. Quum hoc Joachi-

mus del Giudice conspexisset, relicto Joanne Maddaluni, & timens, quod Raphael Ruocco potuisset gladio percutere dictum Maddaluni, illum ambabus ulnis percingens, omni conatu impediebat, ne e suis evaderet manibus. Sed quum Raphael Ruocco æquali vi nitebatur se e brachiis dicti Joachimi del Giudice exolvere, ut Joannem Maddaluni aggredi potuisset, magna ideo colluctatione se agitantes super parvo muro sito in latere loci, in quem e cymbis in terram conscendunt, qui e mari ad dictam Civitatem appellunt, procidere ambo in mare.

Adcurrit tunc Tobias Ruocco, & timens, quod dictus Joachimus del Giudice offendisset Raphaelem Ruocco suum fratrem, gladio, quem perstringebat, injecit ictum abdomen versus dicti Joachimi, vulnus tamen non adferentem, quia Presbyter D. Thomas Colonna ad illud evitandum, baculo, quem gerebat, percussit brachium dicti Tobiæ. Quum autem Raphael del Giudice, qui suam prope domum adstabat, conspexerit Raphaelem Ruocco gladium perstringentem, & colluctantem cum dicto Joachimo suo consanguineo fratre, & inter se implicatos in mare procidisse, & deinde voluisse Tobiam Ruocco gladio vulnerare dictum suum fratrem. statim adcurrit, & gladio feriit dictum Raphaelem Ruocco inter claviculam, & acromium, & postea aufugiens leviter feriit dictum Tobiam Ruocco, qui apprehendere illum nitebatur, relinquens infixum in veste brachii dicti Tobiæ enunciatum suum gladium. Post tres horas dictus Raphael Ruocco obiit. Aufugit hic rubricatus Raphael del Giudice Calcarim, e qua jussu S. M. fuit Neapolim transvectus, & in carcerem detrusus.

Fuit a Regia Curia Civitatis Puteolorum extructa informatio, qua fuit probatum desuper enarratum, *fol.* 1. Exhibuit se sponte in judicio Joachimus del Giudice, qui mandato per Civitatem fuit subpositus, & deinde fuit il-

illius recepta depositio, *fol.* 85. Quum postea fuerit a S.M. ordinatum, quod procederet adversus dictum Raphaelem del Giudice, uti nautam, Regium Tribunal Magni Admirati, cui privativa, & abdicativa competit in nautas jurisdictio, fuit ideo post plures judiciales actus, qui omittuntur, recepta dicti Raphaelis del Giudice depositio *fol.* 135., cui post interrogationem cum particula monitus *fol.* 139., fuit traditus terminus defensivus, *fol.* 141., illoque constructo, fuit per dictum Raphaelem del Giudice postulatum admitti ad Regalis Indultus fruitionem, *fol.* 32. *vol. def.*; & sub die 11. Martii currentis anni 1775. ordinatum, audito Regii Fisci Patrono, quod procederetur ad ulteriora, reservata discussione exceptionis dicti petiti Indultus ad merita principalis judicii, *fol.* 34. *vol. dif.*

Substinet Regii Fisci Patronus, Raphaelem del Giudice animum habuisse sauciandi Raphaelem Ruocco, quia cultrum deferebat, præscribente *L. Corn. de Sicar.* debere presumi, quod animum interficiendi habeat, qui telum, vel sicam defert, ut ex *L.* 1. *ff. ad L. Corn. de Sic.* Dolus autem, & occidendi propositum colligitur, ut ille opinatur, ex ipso facto, nempe ex internicione Raphaelis Ruocco, nam si animus occidendi non adfuisset, non utique cultro feriisset, *d. l.* 1. *ff. ad L. Corn.* Inferebat deinceps, propositum necandi evidenter depromi ex loco vulneris, quia inflicti prope guttur, cujus vulnera sunt lethalia; nam si animum sauciandi haud habuisset; aliam corporis partem vulnerasset. Præsertim quia statutum jubet præsumi homicidium præmeditatione admissum, quando cultro, vel aliis vetitis armis patratur. Hinc tandem concludebat, ob præcedentem rixam dictum Raphaelem del Giudice, ultionis causa, rediisse ad rixæ locum, & dolo malo, improboque animo crudeliter perfodisse Raphaelem Ruocco, dum in mari a Joachimo del Giudice detinebatur.

In suis autem defensionibus probavit duobus testibus Raphael del Giudice, fuisse post primam rixam, ortam inter se & Raphaelem Ruocco, a sua matre traductum domum, in qua cum iisdem testibus moratum fuisse, usquedum fuit Raphael Ruocco in secunda rixa vulneratus, *fol. 5. sup. 6. art.* Probavit insuper fuisse Raphaelem Ruocco juvenem improbæ indolis, corruptorum morum; & tam scelestum, ut pluries manus intulisset matri, sicuti omnes testes asserunt *sup. 8. art.* Tandem nisus est ostendere *sup. 14. art.*, quod Victoria de Majo testis ocularis non potuisset conspicere ictum cultro inflictum Raphaeli Ruocco, & quod Emmanuel de Fraja, alter ocularis Testis, erat suus inimicus, quia ipse Raphael del Giudice renuebat ei suas cymbas locare, quum exteri illuc se conferebant, ut dictæ Civitatis Puteolorum, ejusque Villarum antiqua monimenta inspicerent, uti iidem testes defensivi asserunt *sup. 12. art.*. Hinc prætendebat admitti ad Regalem Indultum ob necessariam, & inculpabilem susceptam defensionem Joachimi del Giudice sui fratris consanguinei. Omnia autem, quæ in dictis defensionibus adducta fuere, nullam producunt probationem, quia Testes defensivi fuere recepti sine interventu Domini Regii Fisci Patroni, qui institit non recipi sine suo interventu *fol. 3. vol. defens.* Fuit deinde exhibita remissio, quam peregit mater, sororque dicti extincti Raphaelis Ruocco, *fol. 33.*

Ad analisim autem omnibus hisce redactis, perpensum fuit, præsentem casum non comprehendi a Regali Indultu publicato die 10. Februarii currentis anni 1775.; quandoquidem licet in illo admittantur homicidia ad propriam defensionem; in casu tamen præsenti nequit existimari propria illa defensio, quæ substantialiter fuit pro tuendo altero. Vocabulum enim: *propria*: ostendit, admitti ad indultum, qui sui ipsius tuendi causa, & propriam suam vitam defendens, & conservans, alium occide-

ciderit. Impropriaretur sane significatus verborum dicti indultus, si aliena defensio acciperetur pro propria. Sat enim notum, leges præscribere, quod illarum verba sonant, & talis illarum sit spiritus, & sensus, qualis verborum, & dictionum significatio, ut ex *L. Non aliter ff. de legat. 3.*. Præterquamquod si indultu comprehendi voluissent tum homicidia ad sui ipsius defensionem, tum homicidia ad aliorum tuitionem, non utique adhibita essent verba: *a propria difesa:* sed dictionem indefinitam, & fere indistinctam: *a difesa*: quæ sane comprehendisset tum unum, tum alterum casum. Omnes quidem non ignorant, abolitiones, privilegia, aliasque leges speciales esse strictissimæ interpretationis, neque de uno ad alterum casum extendendas, ut ex *L. 16. ff. de Leg. Senatusque Conf.*, *& ex §. igitur in re dubia*, *L. 1. ff. de exercit. act.*

Rejecta autem dicti petiti indultus exceptione, fuit ponderatum, nequire ambigi, quin moderamen inculpatæ, & inpunibilis tutelæ verificetur tum in casu, quo quis ad se ipsum tuendum, & ad suam servandam vitam impune adgressorem interficit, ut ex *L. 5. & ex §. qui cum aliter*, *L. 45. ff. ad leg. Aquil.*, tum in altero casu, quo juxta dictamina juris naturæ, & universalis societatis humani generis quis ad alterum, aut necessarium, aut amicum, aut socium, inimicum, vel exterum, & ignotum tuendum alium necat, *c. 5.*, *& c. non inferenda causa 23. quæst. 3.* Imo etiam tenetur homicidii pœna, qui potens impedire alicui, ne alterum sauciet, non prohibet, nec impedit, ut ex *L. 110. ff. de reg. juris*, *& ex arg. L. 51. ff. eod. tit.*; quum jus quidam cognationis, quæ inter se omnes homines conjungit, præseferat obligationem, ut unus alterum adjuvet, & alteri succurrat.

Ad hypothesin referendo thesim, fuit etiamnum perpensum, quod rubricatus Raphael del Giudice e loco, ubi suam

ſuam prope domum aderat, videns Raphaelem Ruocco cultrum manu perſtringentem progredi adverſus Joachimum del Giudice ſuum conſanguineum fratrem, eoſque maxima agitatione inter ſe primum colluctantes, & deinde inter ſe implicatos in mare procidiſſe, debebat ob hoc materiale ſpectaculum, ſicuti quiſque debuiſſet metuere, & timere, quod Raphael Ruocco aggreſſus fuerit dictum Joachimum, ut illum necaret, præſertim quia dicta colluctatio pervenit tum ultra, ut ambo ſe ſe invicem obſtringentes, in mare ceciderint. Neſciebat ſane rubricatus del Giudice hujuſmodi colluctationis cauſam, tum quia e loco ubi reperiebatur, non poterat videre, & diſtinctim voces non audire, tum quia Fiſcus non probavit id dictum rubricatum ſciviſſe, quum ſcientia, quæ adfert crimen, non præſumatur, niſi probetur; quia tunc ſcientia eſt quid facti, quod debet perneceſſe probari.

Vidit inſuper rubricatus del Giudice ab eodem loco, poſtquam dicti colluctantes, erant in mare delapſi, adcurriſſe Tobiam Ruocco, & cultro injeciſſe ictum abdomen verſus dicti Joachimi ejus fratris, quod baculo fuit a Presbytero Colonna impeditum *fol.* 47. *vol. inform.*; & conſequenter debuit perneceſſe timere, dictum Joachimum ſuum fratrem eſſe in vitæ diſcrimine. Ab hoc metu, & a ſanguinis impulſu commotus adcurrit, & conſpiciens adhuc cultrum manu perſtringentem Raphaelem Ruocco, & adhuc in mari cum ejus fratre colluctantem, ob primam animi perturbationem, & ob timorem imminentis vitæ periculi, cui ſuum fratrem ſubpoſitum conſpiciebat, feriit dictum Raphaelem Ruocco, & inde fugæ ſe tradidit; etiam quia poterat iterum dictus Tobias Ruocco redire, & necare dictum Joachimum ejus fratrem, quem paulo ante vulnerare conatus fuerat.

Hinc colluctatio Joachimi del Giudice inermis cum Raphae-

phaele Ruocco cultrum manu gestante, amborum lapsus in mare sese invicem obstringentium, imminens vitæ periculum, cui subpositus dictus Joachimus videbatur, tum ob cultrum, quem colluctans Ruocco perstringebat, tum etiam si Tobias Ruocco ad feriendum dictum Joachimum rediisset, qualitas istantanea dictæ ortæ rixæ, æqualitas armorum, animusque succurrendi periclitanti fratri, sunt eæ circumstantiæ, quæ in spiritus perturbatione, constituunt inculpabilem tutelam, quam rubricatus Raphael del Giudice sui consanguinei fratris suscepit. Sed quum queat aliquis considerari excessus, quandoquidem poterat illum adprehendere, & retinere, & non vulnerare. Poterat ferire aliam corporis partem, & clamare, & auxilium quærere, quamquam gradus dicti excessus in rixis istantaneis, & in primis animi commotionibus magni non sint ponderis; ideo Dominus Miles U. J. D. D. Petrus Forte Advocatus Neapolitanus, & Judex Regii Tribunalis Magni Admirati decrevit: *Non esse locum petito Regali indultui; ac proinde dictus rubricatus Raphael del Giudice exulet per decennium tum e Civitate Puteolorum, tum a tota Provincia Terræ Laboris.*

Pisacane Act. Mag. Serena Scriba Fisc.

In

In judicio, quo in Regio Tribunali Magni Admirati una eademque sententia, lata die 7. Octobris 1775. per Judicem ejusdem Tribunalis, absolutæ fuerunt accusationes propositæ per Mariam Gammardella, Magdalenam Nigro, Theresiam Nigro, & Annam Exposito, de realibus injuriis contra Paschalem, & Josephum Gisuni germanos fratres, & accusatio etiam de realibus injuriis per easdem proposita contra Carolum, & Matthæum Jodice, Agnellum Sauro, Franciscum Imperato, Vincentium Nigro, Nicolaum, & Antonium Crescuolo; qua siquidem sententia decretum fuit, quod prædictis mandatum passum cederet in pœnam; eademque dicti Fratres de Gisuni exclusi fuerunt a Regali Indulgentia, & pronunciatum fuit mandatum passum iisdem in pœnam cedere; verum quod gressus ante domum Mariæ Gammardella foret ipsis per quinquennium interdictus. Quam sententiam prædicti omnes acceptam habuerunt, exceptis fratribus de Gisuni, qui contra eamdem ut Accusatores, & ut Rei produxerunt aliquot nullitatum capitula, quorum discussio præsenti judicio versatur. Die 1. Februarii 1776.

Mandatum, quod, ne damni aliquod futurum sit, a Magistratu injungitur, pœnæ loco non est.

Unius diei lapsus ab eo temporis spatio, quod præfinitum est ad Regalem Indulgentiam petendā, impedimento non est, quin eidem sit locus.

EXcussis omnibus actis in quinque voluminibus dispertitis, colligitur hoc judicium inceptum fuisse in M. C. V., deinde in hoc Regio Tribunali prosequutum; nam Maria Gammardella, Magdalena Nigro, Theresia Nigro, & Anna Exposito detulerunt Paschalem, & Josephum Gifuni reos alaparum, aliarumque realium injuriarum. Adseruerunt, dictos de Gifuni die 26. Februarii 1774. introiisse domum dictæ Gammardella ibique dictum Paschalem bis ipsam Gammardella, & semel dictam Exposito depalmavisse, & pugnis contudisse caput dictæ Nigro; dictumque Joseph duas alapas impegisse Magdalenæ Nigro, non sine aliis realibus injuriis, quas intulerunt instigatione Petri de Marino, & Annæ Daniele. Præterea alaparum Mariæ Gammardella inflictarum, quanquam nulla extet probatio generica; speeificam tamen, cum qua pluries generica confunditur in hoc delicto, constituunt duo testes de visu deponentes *fol.* 13. *vol.* 1., alius testis, *fol.* 17. deponens impressionem inflictæ alapæ Magdalenæ Nigro, & Theresiæ Nigro; & denique tres alii testes, *fol.* 21. deponentes egressum dicti Paschalis, & Josephi Gifuni domo dictæ Mariæ Gammardella. Adserta instigatio con-

contra Petrum Marino, & Annam Daniele nulla probatione eruitur; vix enim de ea remotissimam suspicionem suppeditant depositiones Testium, *fol.* 19.; quorum primus ait a dictis Marino, & Daniele dictum fuisse Paschali, & Josepho Gifuni: *mo potite ire, ca lo marito è asciuto :* Ait alter se vidisse dictos Gifuni cum Marino, & Daniele alloquentes : quæ omnia accidisse deponunt paullo ante quam dicti de Gifuni introirent domum dictæ Gammardella. Citatis dictis de Gifuni, ac deinde constitutis, fuit ipsi concessus terminus defensivus, in quo nullam concludentem probationem produxere.

Die 22. Februarii, quum fuisset die decima ejusdem mensis publicata Regalis Indulgentia, institerunt velle ejusdem dilatione uti, *fol.* 102. *vol.* 1.; deinde die 13. Martii institerunt velle Regalis Indulgentiæ beneficio frui pro causa enarratæ inquisitionis, *fol.* 203. Produxerunt ideo formalem abolitionem accusationum propositarum per Annam Esposito, & Magdalenam Nigro. Posthæc per emeritissimum tunc temporis Judicem Magni Admirati D. Petrum Forte lata fuit enunciata sententia, qua is pronunciavit, ut supra. Sed contra hanc sententiam dicti fratres de Gifuni produxerunt aliquot nullitatum capitula infra legitima tempora, *fol* 114., quarum tertia mandatum de non transeundo per domum Mariæ Gammardella fuisse nullo jure præscriptum per quinquennium proponit; nam dicti fratres de Gifuni duplici pœna afficerentur : quinta continet rationes, propter quas iidem de Gifuni a Regali Indulgentia excludi non poterant. Inspecto igitur, quod supradictum mandatum de non transeundo per domum dictæ quærelantis Mariæ Gammardella manat ex officio Magistratus; qui *curare debet, ut pacata, atque quieta Provincia sit L. Congruit* 13. *ff. de offic. Præs.*, *& si damni aliquid futurum sit curare debet Prætor, ut timen-*

menti damnum caveatur L. 23. §. 1. ff. quod metus causa gestum erit. Ideoque non ut pœnæ loco sit, sed ut pax inter Cives servetur præscribi oportet. Inspecto pariter quod Regalis Indulgentia, qua datum fuit mensis spatium ad Regale beneficium petendum, publicata fuit die 10. Februarii, & quod dicti fratres de Gifuni eadem velle frui petierunt die 13. Martii, habetur ideo lapsus dierum triginta unius: perpenso econtra, quod etsi mensis Februarii elapsi anni dies 28. continuisset; tamen ex quo Regalis Indulgentia absolute mensem præscribit, intelligi debet de ordinario mense, qui triginta dierum spatio continetur Argumento *L. Cum bis* 98. *Arg. L. Anniculus* 134 *ff. de V. S. & Arg. L. 3. §. post ff. de suis, & legit. hered.* Esset igitur supra triginta dies unus; quapropter excessus esset horarum aliquot, & ideo ob evidentem æquitatem infra legitimum tempus facta petitio haberi debet, exemplo eorum, quæ continenti fiunt *L. Divus* 8. *ff. de restit. in integ.*: eo magis, quod beneficium, quod ab Indulgentia Principis proficiscitur, plenissime interpretari debemus *L. 3. ff. de Constit. Princ.* His igitur ponderatis, audito Domino Fisci Patrono, & partibus, Dominus Miles U. J. D. D. Flavius Pirelli, Advocatus Neapolitanus, & Judex Regii Tribunalis Magni Admirati decrevit: *Tertiam, & quintam Nullitatem obstare; ideoque etiam pro exequutione alterius decreti sub die* 1. *Julii* 1775. *fol.* 6. Atti per Maria Gammardella, *injuncto Paschali, & Josepho Gifuni mandato sub pœna ducatorum* 300. *Fisco Regio &c. aliisque ad arbitrium hujus Regii Tribunalis Magni Admirati de non offendendo Mariam Gammardella, & quiete, & honeste vivendo, & de non transeundo diu, noctuque per domum, quam habitat, & habitabit dicta Maria Gammardella, donec aliter; gaudeant dicti fratres de Gifuni Regali Indulgentia respectu injuriarum illatarum Annæ Exposito, & Magdalenæ*

lenæ Nigro ; ac proinde se obligent servata forma Indultus ; verum quod ad reliqua prædicta sententia firma remaneat .

Pisocane Act. Mag. Vitagliano Scriba.

In judicio , quo in Regio Tribunali Magni Admirati Joannes Caruso delatus fuit reus vulnerum , cultro inflictorum Joanni Miluach , & Nicolao militibus , vulgo delle Regali Guardie Svizzere, *contusionum , aliarumque injuriarum illatarum magn. Nicolao de Nigris ; necnon homicidii noctis tempore ictu cultri admissi in personam Josephi Mazzone : Quæ omnia feruntur a rubricato duarum horarum spatio admissa eo hujus Civitatis loci , qua itur ad suburbitanam maris oram , vulgo* Chiaja *nuncupatam , die 5. Aprilis 1774. , inclinato jam in vesperum die. Die 11. Septembris 1776.*

RUbricatus Joannes Caruso, & occisus Joseph Mazzone summa amicitia conjunctissimi cum essent Compatres invicem vocabantur . Die 5. Aprilis , secunda post S. Pascha 1774. , post prandium Rubricatus illum vocavit, & ambo in publicum prodiere ; & cum inclinaret in vesperum dies , ipsique per viam suburbanam hujus Civitatis, *vulgo la strada di Chiaja* , incederent , sive insaniæ , sive petulantiæ impetu acti , irruerunt in militem Joannem Miluach , quem duobus vulneribus ictu cultri affecerunt . Paulo post in eosdem incidit alius miles Nicolaus Schmid , quem ipsi pariter adorti fuerunt , & pugnis vexatum , atque duobus vulneribus , cultro illatis , affectum , humi straverunt . Ille jacens Sacrum Confessionis mysterium implorabat . Tunc opportune progrediens quidam Nicolaus de Nigris inclamavit, *per amor di Dio chiamate no Confessore*, & susceptum iter tenens domum suam versus , extemplo conspexit in ipsum conversos quamplures homines , lapides emittentes , quos inter agnovit rubricatum , qui evaginato cultro ipsum impetebat : at is fugiens, ad officinam Matthæi Manfredi pharmacopolæ se recepit, prout habetur ex depositione ejusdem de Nigris, *fol.* 46. & Manfredi *fol.*58.

Probatione deficiente , damnari Reus nequit.

Quantum indiciis valeant , Judex inspiciet, qui & indicia, & probationes, quæ alias infirmæ essent, admittet in difficillimæ indaginis criminibus.

 Se-

Serum cum esset dictus Mazzone a Rubricato digressus domum suam ivit; dumque in ea maneret, rursus ipsum Rubricatus circa primam horam noctis arcessivit, sic affatus. *Compà jammo ce vevimmo na carrafa de vino:* & quamvis Anna Maria Martino avia ejusdem Mazzone obstaret, e domo ipse egressus fuit, & Rubricato, qui dixit, *mo venimmo, quanto ce vevimmo na carrafa de vino cca becino*, iterum se comitem adjunxit, ut deponit prædicta avia occisi, *fol.* 9. Quo ambo pergerent, in comperto non est, nam ex actis tantummodo habetur, Rubricatum circa horam primam noctis cum dimidio accessisse ad Tabernam vinariam Paschalis Mundo, qui ait, *fol.* 72., se vidisse solummodo Rubricatum, qui accepto sextario vini exivit e Taberna, & deinde reversus fuit, ut pretium vini solveret. Elapsa secunda hora noctis, dum prædicta Anna Maria de Martino Nepotem expectaret, accessit ad eam Elisabeth Exposito, quæ ipsi mortem illius annuntiavit hisce verbis: *Anna Maria và mò vecino lo quartiero de Piedigrotta, ca llà nterra stà muorto acciso Peppo nepute-to*: Tunc immediate prædicta de Martino respondit: *Comme è muorto, mo se n' è ghiuto da ccà co Giovanni Caruso lo Compare suio, e mò è muorto?* pro ut habetur ex depositione prædictæ Elisabeth *fol.* 59.

Versus secundam horam noctis igitur rumor ortus de nece Josephi Mazzone, qui exanimis jacebat propre Ecclesiam, *di Piedigrotta*, procedens pervenit ad aures cujusdam Scribæ Fiscalis M. C. V., qui excubias agendo, urbem lustrabat cum satellitibus ejusdem M. C., quique cum se contulisset eo loci invenit circa Cadaver nonnullas mulieres, quæ illius morti illacrymantes ajebant esse materteras occisi, quodque hic paulo ante exiverat cum Joanne Caruso. Hac de causa idem Scriba Fiscalis Rubricati domum adivit, in qua peractis disquisitionibus, satellites invenerunt illum latitantem in

in angulo viridarii propre domum, in quod, per fenestram saltu præceps, sese receperat. Habetur hoc ex depositionibus Satellitum, *fol.* 62.

Interrogatus igitur statim a prædicto Scriba Fiscali de Joseph Mazzone respondit, se cum eodem vinum bibisse circa horam primam noctis in quadam taberna vinaria, quodque ille deinde concitato gressu currere cum cœpisset, ad quemdam lapidem offendit, atque procumbens humi, incidit in cultrum impetu emissum e sacculo thoracis, & sese vulneravit; tunc illum ipse eo loci sauciatum reliquit, & domum suam petiit. Continuo prædictus Scriba Fiscalis hanc depositionem Rubricati comprobare studuit, sed in cassum; namque occisi cadaver indutum erat thorace, quod sacculo carebat, inibique culter enunciatus haud potuit inveniri. Hæc sunt, quæ sparsim in informativo Fiscali continentur, quæque in unum digesta enarratam facti speciem suppeditant. Hujus autem caussæ cognitio, etsi a M. C. V. incepta fuisset, instante tamen ipso Rubricato prosequuta fuit in hoc Regio Tribunali, tanquam ejusdem foro competente.

Ab enunciata extrajudiciali depositione Rubricati, quæ habetur ex ore satellitum M. C., differt depositio ab eodem extrajudicialiter etiam facta in aula M.C.V. *fol.* 18. Tunc enim dixit cum occiso vinum bibisse in quadam taberna vinaria circa primam horam noctis, & ex quo deinde idem occisus aggressus fuit quosdam milites Helvetios, ipse reversus fuit domum suam. His autem non respondet judicialis facta in hoc Regio Tribunali *fol.*89.: ait enim, *Andiedi col medesimo caminando dal dopo pranzo fino all'ora dell'ave Maria per la Strada di detto Borgo; e dopo bevutoci il vino in una di quelle cantine a tal uso, ci divisimo*: & quoad latitationem sic deponit: *mi corcai, nel quale atto, che poteano essere circa le ore tre di notte intesi bussare la por-*

porta di detta mia abitazione dalla parte di fuori ; e domandando chi era, mi fu risposto, ch' era la Corte ; e come io dovevo pagare docati 8., *che tenevo di debito, credendomi ch' ero per tal causa carcerato, pensai, siccome feci, di salvarmi nel convicino giardino, e scavalcando per una picciola finestra mi andiedi a nascondere in un angolo del medesimo.* Hæc sunt, quæ ex ore Rubricati colliguntur.

His igitur positis, compertum est, Rubricatum triplici inquisitione premi, ut ex Rubrica. I. inquisitio respicit vulnera illata militibus Joanni Miluach, & Nicolao Schmid ; & habetur solummodo ex ore ipsorum vulneratorum. II. respicit contusiones, aliasque injurias illatas magn. Nicolao de Nigris ; sed ea, de quibus is conqueritur, videntur solummodo, quoad insectationem, urgentissima probatione, confirmari. III. inquisitio circa homicidium versatur, & ex his quæ dicta sunt quatuor indicia erui posse videntur. Sed quanti hæc æstimanda sint, diu per hoc Tribunal dubitatum est, præcipue ob inæqualitatem causæ, quæ adducitur a Fisco. Creditur enim Rubricatum eo consilio interfecisse Josephum Mazzone, ut suorum criminum testem tolleret.

1. Indicium oritur, ex quo Rubricatus inspectus fuit illa die cultro armatus, eamque lasciviam præseferens, ut videretur ad omne crimen paratus.
2. Ex conscientia delicti, quæ arguitur ex illa latitatione, & ex callido commento, quo respondit interroganti Scribæ Fiscali.
3. Ex depositionum varietate.
4. Ex conquestu immediato aviæ occisi, & ex publica voce, & fama, quæ cum ipso crimine orta fuit.

Impartito Rubricato termino ad se defendendum, tribus articulis jus suum, quod trium testium fide instruxit, collegit. Deduxit primo se non alia ex causa satellitum ma-

manus effugere tentasse, nisi ob debitum, propter quod creditor minatus fuerat velle ipsum in vincula conjicere. Isthæc positio duorum testium dicto fulcitur, sed verisimilis non videtur; nam neque Creditor testimonium dixit, neque Judicis decretum, ut opus est, producitur. Præterea quis est qui ignoret dum Pascha celebratur, neminem posse in carcerem detrudi? Insuper ex capite inimicitiæ arcendum esse a testimonii fide contendit Paschalem Magliocca testem Fiscalem: sed deducta inimicitiæ causa, neque admodum idonea, aut æqipollens videtur; suorum denique morum, & inculpatæ vitæ honestatem probavit.

Expedita monitione per D. Petrum Forte tunc Judicem Magni Admirati, modo emeritissimus Advocatus Pauperum in M. C. V., petiit Regius Fiscus exquisitiores diligentias, & signanter petiit verificari debitum a Rubricato assertum contra ipsum, num ex aliqua scriptura oriretur. Instante igitur Regio Fisco per hoc Regium Tribunal, ne veritas delitesceret, peractis diligentiis, nil ideæ Fiscali magis respondens quæsitum fuit, sed arcessito Francisco Criscuolo (agnomine per accidens dictus *alias la Maddalena*) asserto creditore in articulis defensionum Rubricati, interrogatus is fuit, num anno 1774. aliquid ei debuerit Joannes Caruso, itaut minatus fuerit velle ipsum exequi de persona? Ille respondit se nunquam cum Joanne Caruso negotia habuisse; immo perquisitis deinde libris, in quibus debitorum nomina descripta sunt, inspexit Rubricati nomen non contineri, ut ab actu Scribæ causæ, *fol.* 16. *volume delle difese*.

His ita præmissis patet, quoad vulnera inflicta dictis Militibus Joanni Miluach, & Nicolao Schmid nullam adesse probationem, immo nec ex ore vulneratorum haberi Rubricatum ipsos vulnerasse, pro ut ex eorundem depositionibus *fol.* 50. Exploratissimi juris est, deficienti-
bus

bus probationibus, reum absolvi oporteri *L. Qui accusare 4. C. de edendo*.

Quoad contusiones, aliasque injurias illatas magn. Nicolao de Nigris inspectum est Rubricatum nulla legitima, & concludenti probatione urgeri, & præsertim ob defectum probationis genericæ, quæ cum criminis substantiale constituat, dum desideratur, deest corpus delicti, quod est judicii criminalis basis, & fundamentum. Insectatio autem prædicta urgentissime probata videtur contra Rubricatum. Deponit idem de Nigris *fol. 46.* ipsum adortos fuisse quamplures homines, qui lapides jaciendo; ipsius lumbos percusserunt, quodque inter illos Rubricatus, evaginato cultro, ipsum impetebat. Paschalis Magliocca *fol. 56.* ait se vidisse prædictum de Nigris insequi duos homines ipsi incognitos, quorum unus cultrum evaginatum manu gestabat, quemque erat cogniturus, & revera in actu recognitionis, *fol.85.*, Rubricatum inter similes, & dissimiles constitutum, dignovit. His accedit depositio pharmacopolæ Matthæi Manfredi, *fol.58.*; quæ omnia etsi non respiciant pœnam ob hoc factum Rubricato irrogandam, instruunt tamen homicidii causam; eandemque adminiculantur, quæ utpote causa major trahit ad se minorem.

1. Et revera enunciata insectatio, quæ primum suppeditat indicium, homicidium respiciens, ut dictum est, satis superque contra Rubricatum probata videtur, adeoque non difficile videri potest hominem cultro armatum, furore insanientem, lascivia percitum, & illa die in transeuntes irrumpentem, alterum occidisse, quem suorum criminum testem habuerat.

2. Indicium vim recipit a depositionibus satellitum M. C. *fol.62.*, quibus latitatio Rubricati plenissime probatur. Horum dictis fidem habendam esse censet hoc Tribunal, tum quia alia probatio ad eruendam veritatem non est, exemplo *L. 7. ff. de test.*, tum quia ex iis, quæ ipsi

ipsi deponunt, Rubricatus fatetur latitationem, & Paschalis Mundo deponit se vinum eidem vendidisse. Contra ex *L. Quæsitum* 15. *ff. qui & a quibus manum.* colligitur, reum plus cogitatione, & conscientia delicti, quam Judicis sententia damnari. Alias dictum est Rubricatum intendisse defensionibus probare, quam ob causam satellitum manus effugere tentavit, & visum est causam allegatam evidenti mendacio laborare. Ex mendacio autem, in quo deprehenditur Rubricatus, evincitur ejusdem conscientia patrati sceleris, qua exstimulatus sui copiam facere exhorrescebat. Sed is causam insufficientem latitationis allegando, delictum quodammodo fassus est. Immo, ex quo causa probata non est, scinditur depositio, & rejecta causa quoad latitationem, pro confesso haberi debet. Commentum denique ab eo excogitatum, cum interrogatus fuit a prædicto Scriba Fiscali, demonstrat fuisse ipsum conscium necis Josephi Mazzone. Merito præterea in suspicionem adducitur Judicis animus, ex quo Rubricatus ipse in evidentissimo mendacio deprehensus fuit. Consilium mendacis est veritatem abscondere, ideoque fraudem habet comitem; *arg. L. Falsus* 44. *§. si quis ff. de furtis*, ubi Jurisconsultus verbis *fraudem adhibuit fallax est*... & *L. Jurisgentium* 7. *ff. de pactis*, ubi: *dolus malus fit calliditate, & fallacia*. Quid autem ostendit reticentia illa Rubricati, nisi criminis conscientiam? Amici enim, & Compatris Josephi Mazzone officium erat, miserandam ipsius mortem, statim ejusdem Aviæ annuntiare.

3. Tertium varietas depositionum suppeditat indicium; nam quæ vicissim pugnant, falsa esse oportet *arg. L. Ubi pugnantia* 149. *ff. de R. J.*; nequeunt enim veritatis constantiam continere. Improbitas sermonis, neque falsitate, neque fraude caret *arg. l. nullum* 12. *Cod. de testib.* Hinc testis, qui varie testimonium dixit puniendus est, *L. Qui falso* 16. *ff. eod. l. eos qui* 27. *ff. ad l.*

Cor. de Sic. Qua de re cum varietas depositionum Rubricati mendacium contineat, ac per consequens continet consilium abscondendæ veritatis.

4. Indicium eruitur ex depositione supradictæ Elisabeth Exposito, & Satellitum M. C., & ex publica voce, & fama. Ajunt enim Satellites ex ore aviæ occisi intellexisse eundem paulo ante cum rubricato egressum fuisse: immo efficacissime verba ipsa, illæque expressiones statim prolatæ ex veracitate, & simplicitate cordis, haud affectione præversi, aviam occisi veritatem dixisse demonstrant, nam affata sic fuit: *Commo è muorto? mo se n' è ghiuto da ccà co Giovanni Caruso lo Compare suio, e mo è muorto?* Hinc contra eundem Rubricarum indicium consurgit revera cum ipso egressum fuisse Josephum Mazzone, quod & ipse quodammodo fatetur, qua de re merito de casu illius per ipsum quærendum est, *arg. l. & si certus §. si unus ff. ad S. C. Syll.*

Illud denique occurrit in delictis noctu admissis, & difficillimæ indaginis admittendas esse probationes, quæ alias infirmæ essent, & quamquam aut causa æquipollens deficiat, aut illa quæ a Fisco adducitur haud idonea sit, attamen ne atrociora crimina impunita remaneant probationes etiam infirmæ attendendæ sunt. His ita perpensis, inspectum est, mendacium, & latitationem, cum ab aliis supradictis circumstantiis adminiculentur, constituere duo urgentissima indicia contra Rubricatum; ideoque Judicis arbitrium locum habere ad pœnam irrogandam, juxta constantissimam praxim omnium Tribunalium, *L. 9. L. 38. ff. de leg.* Inspectum est etiam, jure Regni Nostri, posse Collegia, ob indicia indubitata reos morti damnare *Prag. 12. de Off. Jud.*: cui accedit, quod ex *Pragm.* sub titulo de *fals.*, & *monet.*, damnandi sunt rei aut confessi, aut convicti, aut urgentibus indiciis gravati. Audito igitur pluries Domino Fisci Patrono, & Advocato Rubricati, & audita parte que-

querelante, Dominus Miles U. J. D. D. Flavius Pirelli, Advocatus Neapolitanus, & Judex Regii Tribunalis Magni Admiràti decrevit: *Joannes Caruso pro causa enunciati homicidii personaliter inserviat in Præsidio clauso, destinando per S. M. per triennium continuum, etiam attenta sua diutina carceratione; quo tempore expleto, exfractet a Regno servata forma Regiæ Pragmaticæ; verum quandocumque obtinuerit remissionem partis remittatur ei pœna exfractus.*

Pisacone Act. Mag. Vitogliano Scriba.

TRIBUNALIS ALLODIALIUM, ANNONÆ, MIXTI, CAMBIORUM, ET COMMERCII

VARIA DECRETA.

Die 17. Martii 1775. Referente in Regali Camera Allodialium Dom. D. Ferdinando de Leon Præf. Reg. Cam. Fisci Patrono Reg. Patrim., & Comm.

IN causa appellationis, productæ per Josephum Tramontano, & Paschalem Battimelli, a decreto Regiæ Curiæ Casertanæ, quo condemnati ii fuerunt ad inserviendum in præsidio clauso per decennium, pro crimine furti commissi in Ædificio Palatii Regii, ut in rubrica. Petito per ambos beneficio Regiæ Abolitionis Reg. Cam. Allodialium decrevit: *Beneficium prædictum dicto Paschali Battimelli prodesse: ideoque adimpletis conditionibus de non offendendo Testes Fiscales, in eadem lege præscriptis, eumdem esse e carceribus dimittendum.* Quoad vero Josephum Tramontano cum alias per M. C. V. ex causa furti ex legitima testatione condemnatum fuisse, compertum esset, nullimode, utpote recidivum, beneficio abolitionis juvari posse eadem Regia Camera cognovit: visis tamen actis informationis, ex quibus habetur unius Testis depositione tantum onerari, quasi sumptis aliquibus clavis ferreis, pondo librarum quinque, sacculo inclusis, abscondisset in eodem Palatio furandi animo; quia tamen furtum ad exitum non perduxit, invento sacculo per Xaverium Tartaglione, qui idem repertor index, & Testis apud Curiam fuit; eadem Regia Camera Allodialium, Fisci, & Pauperum Advocatis auditis, ex *L. 9. 8. 1. Cod. de Test.*, crimen haud probatum fuisse censuit, cum unius omnino Testis responsio nec audienda sit, & conatus, ad exitum non perductus, in causa furti nullimode pœnæ obnoxius sit ex *L. 18. D. de pœnis*; & ideo decrevit: *Bene fuisse appellatum, & male judicatum, dictumque Josephum Tramontano esse excarcerandum*; cum carcer, quem passus est satis simplicis conatus ad pœnam habendus sit.

Qui alias fuit ejusdem criminis insimulatus, Regiæ abolitionis beneficio non gaudet. Conatus ad furtum, ad exitum non perductus, obnoxius pœnæ non est.

Cangiano Act.

In

In causa appellationis Paschalis de Falco, accusati de crimine parricidii in conjugem suam Lucretiam Jannielo, & per Regiam Curiam Casertæ damnati ad remigium per vicennium. Die 17. Martii 1775. Referente Dom. D. Ferdinando de Leon, Præs. Reg. Cam., Fisci Patrono Regalis Patrim., & Comm.

Mitius agendum cum eo, qui cum neque dolo, neque ex proposito, sed impetu, & iracundiæ calore homicidium patraverit, inter deperditos homines recensendus non est.

VIsis depositionibus Testium, per Fiscum exhibitis, compertum est, sine ulla querela diu in matrimonio vixisse occisorem, & occisam, in Taberna vinaria crimen admissum cultro non ad hunc usum quæsito nec apto; dumque ira furebat occisor, percitus injuriis a rubricato Francisco Falco, contra ambos prolatis, & a rixa cum eodem adhuc calidus existeret: quæ omnia etiam ex depositione coram Judice rubricati; & ex Testimoniis in termino defensionis exhibitis confirmantur.

Regia Camera Allodialium, auditis Fisci, & Pauperum Advocatis, censuit impetu, non dolo, & ex proposito crimen admissum fuisse; tum etiam cum nec ipsa mulier, antequam moreretur, ausa fuisset maritum ictus cultri auctorem pronunciare; & hinc infelicem potius, quam scelestum omnino existimandum esse, probavit: Igitur ex *LL.* 11. *§.* 5., *&* 13. *de pœnis*, *&* *L.* 13., *D. de Offic. Præf.* sententiam Curiæ Casertanæ mitigandam, & pœnam remigii irrogatam, utpote quæ tantum deperditis hominibus digna sit, inopportunam esse judicavit. Decrevit itaque: *Bene appellatum, & male judicatum, Rubricatum Paschalem de Falco ad inserviendum in præsidio clauso per annos quindecim*, condemnavit, exiliumque perpetuum a Regno ob legitimas partium remissiones exhibitas, ex Regia Pragmatica delevit.

Cangiano Act.

In

In causa D. Philippi Neri, olim Gubernatoris Terræ Alberonæ, cum mandato per urbem detenti, accusati pro crimine abusus jurisdictionis, & de damno injuria dato Baltasari Circelli Terræ S. Bartholomæi in Galdo. Die 5. Martii 1776. Referente Dom. D. Ferdinando de Leon Præs. Reg. Cam., Fisci Patrono Regalis Patrim., & Comm.

Damnum injuria datum reficiendum est, ac punienda turbatio jurisdictionis.

TEstimoniis per Fiscum productis, compertum est, Rubricatum detinuisse gregem septuaginta suum per dies 27., prætextu pignoris pro quadam querela damni dati; quum revera damnum minime passi fuissent coloni agrorum, ubi sues agebantur, nec ulla querela ab iisdem scriptis fuisset in Curia porrecta.

Constat pariter, eumdem Neri abstulisse sclopum a Baltasare Circelli, & quod monitus litteris turbationis Jurisdictionis a Gubernatore Allodiali Terræ S. Bartholomæi in Galdo Judice competenti dicti Circelli, & a Domino Delegato Regalium Allodialium, qui pariter jussit reddere sues, & sclopum, cui abripuerat, parere noluit, spreto jussu superioris Magistratus.

Damnum passum a Baltassare Circelli pro maceratione, & abortu suum, æstimatum ducatis 75., *fol.* 11.

Regia Camera Allodialium, auditis Fisci, & rubricati Advocatis, censet, *D. Philippum Neri teneri actione in factum ad reficiendum damnum injuria datum Baltasari Circelli, & litis sumptus, per Text. in L.29. §.pen. D. ad L. Aquiliam; & ad reddendum sclopum eidem Circelli, vel ejus pretium: quibus peractis, tolli mandatum.*

Pro turbatione vero Jurisdictionis, & spretu ordinum, visa relatione facta ab eodem Neri Regiæ Audientiæ Provinciali, *fol.* 117., & repræsentatione *fol.* 78., eadem Regia Camera censet, *mitigandam esse severitatem Regiæ Pragm. I. Tit. de jurisdict. non turb., & Constitutionis Imp. Friderici Tit. de repuls. offic., & satis visam præ commissis a D. Philippo Neri pœnam eidem irrogandam non exercendi officia jurisdictionalia per triennium.*

In causa Andreana Lione cum D. Januario Rotella. Die 11. Decembris 1775.

Testes, nisi per Judicem, & sub sacramenti religione, ac nisi in dilatione ad probationem concessa interrogati fuerint, nullam fidem merentur.

ILl. Spect. Dom. Consultor Regni Siciliæ D. Dominicus Salomone Præfectus Aulæ S. R. C., Regius Consiliarius Regalis Cameræ Sanctæ Claræ, ac Regiæ Annonæ Præfectus.

Andreana Leone, cum cibariam opificinam exerceret, quotidianas epulas, habita de pretio convento fide, vendidit, ac per sex continuos menses præstitit D. Januario Rotella, ut ex binis testium depositionibus patet, *fol.* 8. nunc ab eo cibariorum pretium, ducatos nempe 7., ex vendito petit. Contra D. Januarius debiti partem inficiando, in solis carolenis 34. se debitorem asserit, ac actricem plus petiisse, quam ei debeatur, assumit, *fol.* 3. ad quod probandum binas testationes, post clausum probatorium terminum, penes acta *fol.* 11., frustra, & inconsulto exhibuit. Nam in jure nostro diserte scriptum est, testibus ipsis, non eorum scriptis testationibus judicem crediturum, *L.* 3. *§.* 3. *D. de test.*: ideoque testes ad probandum non admitti, si post concessam dilationem, quam nos in praxi probationis terminum dicimus, producantur, *L. Oratio*, *L. Ult. D. de feriis*, *L.* 1. *Cod. de dilat.*, *novell. de test.* Nec ullam in judiciis testes fidem merentur, vel probationem faciunt, nisi per judicem fuerint interrogati, & sub Sacramenti religione deposuerint, *L. Juris jurandi L. Si quando C. de test.* His quippe sollemnitatibus testes ad probandum recipi lex jubet; & quicquid contra legem fit, vel vitiose geritur, pro infecto in jure habetur, *L. Non dubium D. de legib.*, *L. Quoties D. qui satis cognat.*: Quum ergo constet; actricem intentionem suam plene probasse, nam per binos idoneos testes plene in judiciis inducitur probatio, *L. Uni D. de testib.*; quum

quum præterea æque constet, reum conventum, in probanda deminutione debiti, quam objecerat, plene defecisse; ideoque injustam suscepisse litem: Jus vero nostrum pœna expensarum litis injustos litigatores plectat, *instit. de pœna tem. litig.*, *L.* 13. *Cod. de judic.*, *Prag. anni* 1738. Hinc ego, ex præscripto *L.* 13. *§.* 19. *D. de act. empti*, *D. Januarium Rotella ad solvendum in beneficium Andreanæ Leone nedum prædictos ducatos* 7., *verum etiam omnes litis sumptus*, *per Actuarium Annonæ liquidandos*, *condemno*.

Doct. Joseph Pallante Act. Mag. & Sec.

In causa D. Joachim Cesarelli cum Josepho Aurineta. Die 19. *Decembris* 1775.

ILl. Spectabilis Dom. Consultor Regni Siciliæ D. Dominicus Salomone Præfectus Aulæ S. R. C., Regius Consiliarius Regalis Cameræ Sanctæ Claræ, ac Regiæ Annonæ Præfectus.

Protestatio ei, cujus interest, vel ejus Procuratori denuntiata, justam tribuit protestanti exceptionem.

D. Joachim Cesarelli institoria actione petiit ab Josepho Aurineta ducatos 20., & asses 30., ob debitum contractum a Nicolao Schizzano ejus rei causa, in quam a prædicto Aurineta præpositus fuerat, ad panis nempe mensam exercendam in regione, quæ vulgo dicitur *di Porto*, *fol.* 1. Testibus productis, *fol.* 4., Josephus Aurineta excepit, se actoris exactori, ac furni, quem actor conduxerat, Scribæ denuntiasse, ne amplius in posterum panem Nicolao Schizzano crederet, nec nisi præsenti pecunia ei traderet, protestatione emissa, se de debito, quod hujus rei causa institor contrahere potuisset, minime responsurum.

Et cum hæc fuerit præpositionis conditio, æquissimum est, ut Ulpianus definit, *id servari*, *in quo institor præpositus fuit*, *nam in præstatione*, *sicut & in mandato diligenter sunt fines servandi*, *L.* 11. *§.* 5. *de instit. act.*; ideo-

ideoque Proculus ait, *si denuntiavero tibi ne præposito crederes, exceptionem dandam, L. 17. §. 4. D. eodem*. Ipsa etiam protestatio ei, cujus interest, vel ejus procuratori denuntiata, protestantem indemnem servat, ac impedit quominus actio contra eum suboriatur, *L. Si mandassem D. mandat.*; sibi enim actor imputare debet, quod sciens, & admonitus rem suam perdere voluisset. Jus quippe diligentibus scriptum est, non negligentibus, *L. Penult. in fine D. quæ in fraud. credit.*

Nec actori prodesse potest replicare, protestationem a præponente emissam, cum ipse postea debitum pro suo agnovisset, & dilationem petiisset, per subsequens hoc factum sublatam videri, ac ei protestantem tacite renuntiasse. Nam bini testes, *fol.* 23., quibus actor ad hanc debiti agnitionem, & tacitam renuntiationem probandam utitur, in præsens ei operas suas locant, & uti in repulsæ termino probatum est, ei, mercede conducta, inserviunt in furno, qui vulgo dicitur *alla Maddalena*; ideoque tanquam domestici, & mercenarii pro producente testimonium dicere prohibentur, *L. Etiam 2. Cod. de testib.*

Quum ergo ex juris præceptis constet, actori, ob præpositionis legem ac protestationem emissam, actionem nullam quæri potuisse, vel quæsitam per contrariam exceptionem elidi. Quum præterea æque constet, in probanda replicatione adversus rei exceptionem actorem etiam defecisse, ideoque injustam movisse litem. Jus vero nostrum pœna expensarum litis injustos litigatores plectat, *instit. de pœna tem. litig.*, *L.* 13. *C. de judic.*, *Pragm. anni* 1738. Hinc ego *Josephum Aurineta ab actoris petitione absolvo, ac victum victori in litis sumptus condemno; pro cujus exequutione Actuarius Annonæ depositum in summa ducatorum* 20., *&* *assium* 30. *prædicto Aurineta restituat, & ad expensarum litis liquidationem procedat.*

Doct. Pallante Act. Mag. & Scr.

In

In causa Regalis Monasterii S. Petri Martyris cum Anna Minacella. Die 30. Januarii 1776.

ILl. Spectabilis Dom. Consultor Regni Siciliæ D. Dominicus Salomone Præfectus Aulæ S. R. C., Regius Consiliarius Regalis Cameræ Sanctæ Claræ, ac Regiæ Annonæ Præfectus.

In dubio pro possessore pronunciandum est.

Ven. Monasterium S. Petri Martyris, cum domunculam quamdam possideret urbica regione, quæ vulgo dicitur *alle chianche della carità*, eam anno 1769. Annæ Minacella, ac Januario Uzzo locavit ad usum salsamentariæ tabernæ, *fol.* 12.: quem usum cum postea conductores contra locationis legem pervertissent (nam ex ea vinariam effecerunt tabernam) binis merito M.C.V. decretis eam vacuam relinquere coacti fuere, *fol.* 11. Post hæc Anna Minacella novam salsamentorum tabernam, in ejusdem regionis ambitu, statutaria distantia non servata, exercere cæpit: qua de caussa Ven. Monasterium, ne damnum suæ domunculæ, ac ejus futuro conductori crearetur, petiit coram fidelissimæ hujus urbis plebis Tribuno, ut Annæ Minacella novæ tabernæ exercitium interdiceretur.

Contra eadem Minacella, articulis productis, *fol.* 22., actori objicit, jus ibidem salsamenta vendendi sibi a parentibus obvenisse, quos a tempore immemorabili in eadem regione eamdem exercuisse tabernam, asserit; ac proinde Ven. potius Monasterio facultatem domunculam suam locandi, ad usum venalium salsamentorum, interdici debere, mutua petitione assumit. Ad quod probandum quamquam plures testes, ac documenta aliquot produxisset, inter hæc tamen, & illos non leves deprehenduntur dissensus; nam quamvis in fide quadam Cancellarii Collegii Salsamentariorum opificum, *fol.* 32. exhibita, mentio habeatur quorumdam de Monciello,

qui

qui ibidem antiquitus salsamenta vendidisse asseruntur ; quid tamen nomen hoc de Monciello cum Anna Minacella commune habeat, non intelligitur : nec quomodo, ac quonam jure eam illis successisse ex actis constat: de distantia etiam inter novam, quam in præsens Minacella exercet, & vetustam Monasterii tabernam disputari merito potest, usquedum in rem præsentem itum sit, & per salsamentariorum Consules hac de re arbitratum fuerit.

Tot inter ambages non est tamen ambigendum, Ven. Monasterium in quasi possessione reperiri domunculam suam locandi ad usum salsamentariæ tabernæ. Recte ergo judicatum fuit per Curiam Tribuni plebis, Monasterium in eadem possessione manuteneri debere, & Consules in scriptis referre ad finem providendi quoad novam tabernam, quam in eodem regionis ambitu Anna Minacella exercere intendit : Quod nec aliter definiri posse Prætor finit, qui *uti possidetis* interdictum diserte ei pollicetur, qui prohibitus sit, quominus possessione sua libere utatur. *L.* 3. §. 1. *D. Uti possidetis*. Huc etiam referri debet illa Pomponii definitio in *L. Vim facit. D. Unde vi*: *Vim scilicet facere eum, qui possessorem in suo prohibet quod facere eorum, quæ quivis dominus in re sua facere potest*.

Quum ergo constet a decreto prædicto Annam Minacella inconsulto, ac injuria appellasse ; hinc ego, *male appellatum, ac bene judicatum fuisse declaro*.

Doct. Pallante Act. Mag., & *Sec.*

In

In causa D. Ferdinandi Pantaleone cum Antonio Scarfogliero. Die 29. Februarii 1776.

ILl. Spectabilis Dominus Consultor Regni Siciliæ D. Dominicus Salomone Præfectus Aulæ S. R. C., Regius Consiliarius Regalis Cameræ S. Claræ, ac Regiæ Annonæ Præfectus.

Reus, qui negotiationis codicem, ex quo exceptionem sumit, edere renuit, pro confesso habetur.

D. Ferdinandus Pantaleoni salsamentarias merces credidit Antonio Scarfogliero, quarum pretium cum non integrum recepisset, reliquam ejus partem, ducatos nempe 30., & asses 23., ex vendito nunc petit, productis testium depositionibus, *fol.* 11., ac rationum schedula ex ejus mercatorio libro decerpta, *fol.* 3. Reus, libello producto *fol.* 5., actorem summovet, debitum inficiando; & quamvis negationis per rerum naturam nulla esse possit directa probatio, *L.* 23. *Cod. de probat.*; ipse tamen id indirecte ita probari posse contendit; quippe collatis, ac discussis rationibus dati, & accepti, pro ut describuntur in suo mercatorio codice, quem penes se custodiri asserit, cum totum inde debitum expunctum appareat, necessario evenire, ait, ut actio solutionis exceptione ipso jure perimatur. Quod cum actor intellexisset, facultatem ei fecit, *fol.* 11., ut lis ex hoc asserto codice dirimeretur; ac proinde binis interpositis decretis, *fol.* 20., fuit reo injunctum, ut librum exhiberet; nam & reum cogi posse ut rationes suas edat, ad judicis officium ex causa pertinere ait Imperator Antoninus in *L.* 1. *Cod. de eden.*, præsertim si instrumenta communia, uti mercatorum codice habentur, edi postulentur *L.* 7. *Cod. eod.* Quam exhibitionem cum reus declinasset, eo magis actoris intentionem vehementi hac præsumptione contra se firmavit, argumento ejus quod scriptum est in digestorum libris, eum scilicet pro confesso haberi, cui adversarius suus jurandi potestatem se-

fecit, is vero jurare detractaverit, *L.* 38. *D. de jure jurando*.

Tot ergo adminiculis actorem intentionem suam probasse comperitur, ut fieri non possit, quin reus pro injusto litigatore non habeatur. Cum vero jus nostrum pœna expensarum litis injustos litigatores plectat, *L.* 13. *Cod. de judic.*, *Instit. de pœna tem. litig.*, *pragm. anni* 1738.; hinc ego *Antonium Scarfogliero ad solvendum in beneficium actoris nedum prædictos ducatos* 30., *& asses* 23., *verum etiam omnes litis sumptus, per Actuarium Annonæ liquidandos, condemno*.

Doct. Pallante Act. Mag. & Sec.

In causa Laurentii Borriello cum D. Dominico Nardò. Die 3. Junii 1776.

Maritus ex obligatione uxoris conveniri non potest. Ob juris ignorantiam sæpe in damnis succurritur ei, qui rusticitate notari potest.

ILl. Spectabilis Dominus Consultor Regni Siciliæ D. Dominicus Salomone Præfectus Aulæ S.R.C., Regius Consiliarius Regalis Cameræ Sanctæ Claræ, ac Regiæ Annonæ Præfectus.

D. Vincentia d'Aluisio cum mense Augusti anni proxime præteriti viri domum reliquisset, ac in regionem, quæ vulgo dicitur *S. Maria de Monti* secessisset, ibi cum degeret, salsamentarias merces quasdam, panem etiam, ac alia id genus cibaria ad quotidianas epulas comparata, ei Laurentium Borriello salsamentarium opificem credidisse, ex actis apparet. Harum mercium pretium, ducatos nempe 18., & asses 80. creditor a D. Dominico Nardò prædictæ D. Vincentiæ marito ex vendito nunc petit. At cum translatitium in jure sit, ex alterius contractu neminem obligari; hinc reus creditorem, exceptione non competentis actionis, submovere contendit: & quidem merito, nam in jure nostro diserte, ac conceptis verbis scriptum est, maritum pro uxoris obligatione conveniri non posse, *L.* 3. *Cod. ne ux. pro mar.* vel

vel mar. pro ux., præsertim cum ex actis constet maritum uxori, dum procul ab ejus domo vitam ageret, alimenta semper præstitisse, *fol.* 4. Quamobrem cum sine actione nemo experiri possit, *L.* 31. *§.* 4. *D. de heredit. petit.*, ac inutilis sit actio, quam exceptio elidit, *L.* 20. *Cod. de negot. gest.* Hinc ego *D.Dominicum Nardò ab actoris petitione absolvo. Quod ad litis vero sumptus victum victori condemnandum non esse censeo*; nam cum de asserto debito dubitari nunquam possit, satis inde liquet creditorem juris errore deceptum pro uxore maritum convenisse; & quamvis regulariter juris civilis error neminem excuset, rusticitati vero conceditur, ut ei ob juris ignorantiam in damnis succurratur, *L.*2. *in fin. D. de jure fisci L.* 1. *in fin. D. de edendo*: ac proinde rustici hominis exemplo salsamentarium creditorem, cui juris pariter ignorantia nocere non debet, pro improbo litigatore habendum non esse arbitror, quippe cui, quamvis in jure errasset, litigandi tamen ratio non defuisset, *L.* 78. *§.* 2. *D. de legat.* 2.

Doct. Pallante Act. Mag., & *Sec.*

In causa D. Agnelli Palmiero cum Januario Orlando. Die 14. *Junii* 1776.

Argentariorum libri, ac idonei testes, qui rite examinati fuerint, plenam probationem suppeditant.

Ejus, quod interest, nomine id venit, quod lucrari potuit; lucrum autem intelligitur quod circa rem versatur; atque ex eo tempore æstimatur, quo mora contracta est.

Ill. Spectabilis Dominus Consultor Regni Siciliæ D. Dominicus Salomone Præfectus Aulæ S. R. C., Regius Consiliarius Regalis Cameræ Sanctæ Claræ, ac Regiæ Annonæ Præfectus.

D. Agnellus Palmiero mense Octobris anni 1773., uti ex binis testium depositionibus liquet, *fol.* 17., modios quingentos Indici frumenti emit a Januario Orlando, pretio convento carolenorum 7., & assium 5. in singulis modiis; quod frumentum venditor ex pacto in Acerrano territorio, vel in locis vicinioribus mense Decembris ejusdem anni emptori tradere debebat; hujus ve-

ro sumptibus alio vehendum. Hujus mercis maximam partem, modios nempe 345, cum ante diei adventum emptori, soluto pretio, traditam fuisse constet, tandem conventus dies venit, mensis scilicet Decembris; & quamvis emptor, ut fidem solveret, reliquam pretii partem, ducatos nempe 100. ex argentaria mensa venditori numerasset, uti liquet ex partita, quæ vulgo dicitur banci *fol.* 3.; venditor tamen, commissa mora, reliquam frumenti quantitatem, modios scilicet 155. emptori minime præstitit. Pluries frustra interpellatus, res tandem in judicium deducta. Et cum translatitium in jure sit, venditorem, mora post acceptum pretium in re tradenda commissa, emptori in omne id, quod ejus interest obligari; hinc emptor venditorem ad ejus quod sua interest, frumentum convento tempore non esse traditum, solutionem urget: venditor contra contractum temere inficiatur, & quod ex empto, & vendito actum fuisse constat, id ex mandato accidisse assumit; nam fingit, prædictum de Palmerio ei mandasse, ut suis sumptibus modios quingentos Indici emeret frumenti, quos Decembris traderet mense. Ex his, modios 365., emptos assibus 85., & 90. in quolibet modio, mandatori præstitisse asserit. Moram in reliqua mercis quantitate tradenda ipsi mandatori adscribit, qui cum frumenti pretium plurimi auctum deprehendisset, ei injunxit, ut ab emptione reliquæ quantitatis desisteret. Ac demum, quod reliquum est accepti pretii, sibi retinere licere contendit, tanquam debitam mercedem ob operas mandatori exhibitas. Et ne fabula legitimo careret apparatu, commenticias has allegationes quatuor testium depositionibus ausus est comprobare, *fol.* 26. At cum testes ex ejus ore deponant, nec aliam scientiæ suæ causam reddant, quam quod a producente ipso apprehendisse fatentur, inauditum hinc oritur absurdum, ut reus in causa sua testis fiat.

Quam-

Quamobrem cum venditorem per legitimas probationes plene convictum constet; nam per idoneos testes, qui rite deponant, sicuti & per argentariorum libros plena in judiciis inducitur probatio, *L.* 10. *D. de edendo*, *tit. D. & Cod. de test.*; nil aliud inspiciendum remanet, nisi in quid venditorem condemnari oporteat. Et sicuti si per emptorem steterit, quominus re tradita conventum pretium solvat, venditori licet pretium cum usuris repetere; *L.* 13. *§.* 25. *de action. empti*; ita mora a venditore in re tradenda commissa, juris æquitas exigit, ut in id quod rem habere emptoris interest, venditor damnetur, *L.* 1. *L. Ex empto §. idem ait D. eod.*; quod & in cæteris omnibus faciendi obligationibus generaliter observatur, *L. Si quis ab alio D. de re judic.* Ejus vero quod interest nomine in jure nostro totum id venit, quod actori abest, quodque lucrari potuit, *L. Si commissa D. rem rat. haberi L. Unic. Cod. de sent. quæ pro eo quod int. profer.* Lucri autem nomine justum intelligimus lucrum, & quod circa rem versetur, nam quod extrinsecus, veluti ex negotiatione venit, ad id quod interest, ac ad empti actionem non pertinere ait Paulus in *L.* 21. *§.* 3. *D. action. empt.* Lucrum, quod circa rem consistat, in proposita specie aliud esse non potest, quam frumenti augmentum pretii ejus temporis, quo id tradi debuisset, & per venditorem facta fuit mora. Hoc augmentum apparet testatione ex annonariis libris decerpta, & actis inserta, *fol.* 31.; nam mense Decembris 1773. frumenti pretium plurimi auctum, & ad asses 88. in singulos modios pervenisse deprehenditur. Ex quonam vero tempore id, quod interest, sit æstimandum, videndum est; nam pro temporum varietate varie id, quod nostra interest, commutari solet, *id est*, quod Celsus definit in *L. Si Kal.* 11. *D. de re judic.*, *si Kalendis aliquid fieri stipulatus sum, tanti æstimanda lis est, quanti mea interest Kalendis*

id fieri; ex eo enim tempore quicquid æstimetur, quod novissime solvi potuit. Quod & in obligationibus rerum, quæ numero, pondere, mensurave constant, perpetuo observatur, *L. vinum D. si certum petat. L. Ult. D. de condict. tritic.*; & cum ex eadem testatione appareat, non idem fuisse frumenti pretium in toto Decembris, nam in aliquo deminutum, ad asses 85. ultimo ejusdem mensis die pervenisse constat; ex hoc tempore, quo primum venditor in moram incidit, litem æstimandam censeo, ac proinde *venditorem in tantam pecuniam emptori solvendam, quanti fuit debiti frumenti pretium ultimo Decembris, una cum litis sumptibus condemno*: hac pœna jus nostrum injustos litigatores plectit, *L.13. Cod. de judic.*, *Pragm. anni* 1738. *Pro cujus exequutione Actuarius Annonæ calculum servata forma exhibitæ testationis fol.* 31. *conficiat, ac ad expensarum litis liquidationem procedat*.

Doct. Pallante Act. Mag. & Sec.

In causa Sebastiani Cajazza cum Cosimo Esposito. Die 9. Augusti 1776.

Inutilis est actio, quam elidit exceptio.
Alumnus educatori suo egeno alimenta præstare tenetur.

ILl. Spectabilis Dominus Consultor Regni Siciliæ D. Dominicus Salomone Præfectus Aulæ S.R.C., Regius Consiliarius Regalis Cameræ Sanctæ Claræ, ac Regiæ Annonæ Præfectus.

Sebastianus Cajazza, cum anno 1751. salsamentariam tabernam una cum furno exerceret in regione, quæ vulgo dicitur *de' Lamatari*, in domuncula quadam, quam a D. Joanne Genovino conduxerat, eamdem tabernam Cosimo Esposito ejus alumno, tamquam institori administrandam dedisse asserit; quam cum postea institor, clam, ac invito præponente, usurpasset, ac suo nomine tamquam verus Dominus exercuisset, idem Sebastianus administrationem ab asserto usurpatore avocando, cum

eum ad tabernam una cum furno restituendam cogi petiit. At cum ex apocha pænes acta exhibita, *fol.* 21., appareat, actorem anno 1758. tabernæ exercitio, ac conductæ domui ultro renuntiasse, post cujus renuntiationem Cosimum Esposito eamdem domunculam a D. Joanne Genovino suo nomine conduxisse, ac jus ibidem fallamenta vendendi, ac furni exercendi justo titulo, optimoque jure obtinuisse, uti ex matricula patet, *fol.* 64.; satis inde liquet, actorem exceptione non competentis actionis merito summoveri. Ideoque cum sine actione nemo experiri possit, *L.* 31. *§.* 4. *D. de hered. petit.* ac inutilis sit petitio, quæ exceptione non competentis actionis infirmatur, *L.* 20 *Cod. de negot. gest.*; hine ego Cosimum Esposito ab Actoris petitione absolvendum esse declaro. Verum cum ex testatione actis inserta *fol.* 38. constet, eumdem Cosimum in actoris domo educatum fuisse, inspiciendum adhuc ex juris regulis remanet, utrum alumnus educatori suo egeno alimenta præstare debeat. Et quamvis hoc in libris juris nusquam expresse cautum reperiatur, optimo tamen legis argumento id probari posse, non est ambigendum. Nam cum alumnus in jure sit loco filii, & educatoris nomine, *L.* 3. *§.* 4. *D. de lib. hom. exhiben.*, *L.* 88. *§.* 6. *D. de L.* 11.; usque adeo ut ei non liceat educatorem suum, Parentis exemplo, accusare, *L.* 17. *Cod. de his qui accus. non possunt*: cum præterea libertus Patronum egenum, quia ei loco Parentis est, alere debeat *L.* 5. *§.* 19. *D. de agnoscend. & alend. &c.*; nulla differentiæ ratio reddi potest, cur non idem & in alumno erga educatorem suum sit observandum. ***Ac proinde Cosimum Esposito in carolenos 8. singulis mensibus Sebastiano Cajazza præstandos, alimentorum causa condemno.***

Ventrella Act. Mag.

In

In causa immunitatis localis Michaelis Miano Civitatis Palmarum Provinciæ Consentini, inquisiti, & carcerati, prout ab Ecclesiæ confugio extracti, servato forma Concordati, sub die 17. Decembris 1773. de furto bonorum in magna quantitate commisso in Apotheca Dominici Zappone tempore noctis cum adulterinis clavibus, in comitiva aliorum principalium rubricatorum: in gradu recursus Coadjutoris Fiscalis ejusdem Civitatis Curiæ a decreto Episcopalis Curiæ Miletensis, quo fuit decisum, dictum rubricatum Michaelem Miano gaudere Ecclesiastica Immunitate etiam ex defectu probationum, ac proinde, Ecclesiæ restituendum. Die 3. Decembris 1774.

Cum furti probationes, atque indicia desint, qui fuit illius criminis insimulatus, immunitate Ecclesiæ gaudeat, oportet.

PEr Supremum Tribunal Mixtum, viso Processu a Locali Curia Palmarum extructo, probationibus, ac sufficientibus indiciis destituto contra rubricatum Michaelem Miano, de furto prædicto, tempore noctis, & clavibus adulterinis commisso, cujus criminis principales Auctores convicti, & condemnati fuerunt; ita ut in eundem Michaelem militare non possit *Lex Concordati Cap. II. Artic. XV. de' Immunit. loc.*; aliisque visis, & consideratis &c., fuit provisum, & decretum, ***non esse deferendum recursui Fiscali, & propterea præfatum Michaelem Miano Ecclesiæ Immunitate gaudere.***

F. Fasanus. F. Bindi Act.

In causa Immunitatis localis Paschalis Adamo Casalis, sive Terræ Carpenzani Citerioris Calabriæ, principalis inquisiti, ab Ecclesia de more, & ad formam Concordati extracti, ac carcerati, de incessu per companeam ad instar latronum, & viarum grassatorum, cum assistentia, & in comitiva aliorum hujus generis perditorum hominum, furta, aliaque perpetrando facinora, etiam armatis manibus, & tempore noctis, ac de nonnullis aliis excessibus, prout in actis: In gradu recursus producti a magn. Fisci Patrono Regiæ Audientiæ Civitatis Consentinæ, a decreto lato a Rev. Consentina Archiepiscopali Curia pro Immunitate Ecclesiastica. Die 3. Decembris 1774.

Ecclesiastica immunitate non gaudet capitalis criminis reus.

PEr Supremum Tribunal Mixtum, visis actis in quatuor Voluminibus, ex quibus constat, rubricatum Paschalem Adamo fuisse in, & de comitiva insignis latronis, & viarum grassatoris Nicolai Pontieri, alias *Sancti-Negro*, aliorumque &c., quo tempore nonnulla perpetrata ab

ab iisdem fuisse crimina diuque, noctuque, tam in campanca, quam in locis habitatis, cum armis prohibitis, & violentia maxima, ac præsertim furta in publicis, & vicinalibus viis; viso etiam Concordato *Cap. II. Artic. XIV. de Immunit. loc.*; aliisque visis, & consideratis &c.; fuit decreto provisum, *deferendum esse Fisci Patroni recursui, ac proinde eumdem Paschalem Adamo non esse Ecclesiæ restituendum*.

F. Fasanus. F. Bindi Act.

In causa Immunitatis localis rubricatorum Lucæ Tufano, & Francisci Viento militum Legionis Equestris de Rossellon in Statione Nuceriæ Paganorum, ab Ecclesia confugio extractorum, uti inquisitorum de homicidio mucrone ferreo, vulgo dicto bajonetta, *commisso in personam Nicolai Calabrese etiam militis ejusdem Regiminis a Dominico Audino, cum assistentia, manu habita, culpa, & causa dicti Lucæ Tufano, atque intelligentia, & assistentia Francisci Viento in homicidio prædicto, ut ex actis in gradu recursus a Militari Fisco producti adversus Archiepiscopolis Curiæ Salernitanæ decretum, latum sub die 6. Augusti 1774. Die 20. Martii 1776.*

Sacro asylo gaudet is, quem, licet præsentem, operam tamen homicidio dedisse, non constat.

VIsis actis, ex quibus constat pro vini ludo, vulgo *al Tocco*, ortam fuisse rixam, in qua rubricatus Dominicus Audino mucrone ferreo, italice *bajonetta*, assistentibus Luca Tufano, ac Francisco Viento, percussit dictum Nicolaum Calabrese, qui post dies decem ab hac vita discessit pro hujusmodi causa, nec inde constat rubricatos Lucam Tufano, & Franciscum Viento sceleri operam dedisse, aut contra eosdem concurrere inditia ad torturam; inspecta *L. Concordati in §. V. Cap. II.*; referente Ill. Marchione D. Angelo Granito, Præside Regiæ Cameræ Summariæ, Consiliario, & Causæ Commissario; Supremum Tribunal Mixtum declarat, *non esse deferendum recursui producto a Fisco Militari, ac proinde esse restituendos dictos Lucam Tufano, & Franciscum Viento Ecclesiæ, a qua fuerunt extracti.*

F. Bindi Act.

In

In causa D. Matthiæ Corrado cum D. Dionysio Palopoli. Die 20. Aprilis 1775.

Creditoris inopia, temporis lapsus, atque sæpius coram Judice calculata ratio satisfactionis præsumptionem præbent.

TEssera collybi, sive ut vulgo ajunt *littera cambii*, scripta in Civitate Rossani Kal. Augusti anni 1761., D. Dionysius Palopoli Rossanensis solutionem promisit ducatos 143. D. Matthiæ Corrado postrema die Julii anni sequentis, pro totidem præsenti & numerata pecunia ab eo receptis, *fol.* 6. Decennio post, scilicet Kal. Juliis anni 1772. solutionem non factam protestatus est creditor; atque protestatio hujusmodi debitori personaliter notificata adparet, *fol.* 7.: sed sequenti mense D. Dionysius debitor, judicio præventionis instituto, satisfactionem opposuit, *fol.* 1. Contra D. Matthias Corrado & pro solutione institit ducatorum 143., & pro solutione quoque expensarum, eorumque, quæ sub nomine *di cambio, e ricambio* veniunt, *fol.* 7. Summaria dilatione concessa, hæ, quæ sequuntur, concinnatæ sunt probationes.

Ex instrumento anni 1755. patet, D. Matthiam, ejusque fratrem D. Nicolaum Mariam Corrado vendidisse fratribus utrinque conjunctis D. Dionysio, ac D. Felici Palopoli annuos ducatos 160. pro capitale ducatos 3200., *fol.* 23. Patet insuper ex fide, ordine Judicis facta ab Actuario Curiæ Rossanensis, quovis anno, instantibus fratribus Palopoli, expeditas fuisse litteras executoriales pro consequendo a fratribus Corrado censum ducatorum 160., cui, nonnisi executorialibus expeditis, factum est satis, *fol.* 23. Præterea affirmant testes, a D. Dionysio producti, debitum ducatorum 143. ex *littera cambii* compensatum fuisse cum censu ducatorum 160., *fol.* 26. Quæ omnia pro debitore allata nulla contraria probatione inficiantur; immo nullius generis probatione creditor usus est. Hinc Ill. Marchio Regius Consiliarius D.Hip-

D. Hippolitus Porcinari, Commiſſarius Generalis, & Delegatus Cambiorum, hiſce inſpectis, & omnibus actis, decrevit: *D. Dionyſius Palopoli non moleſtetur ex cauſa ſupradictæ litteræ cambii ducatorum* 143. *a D. Matthia Corrado, qui ſolvat litis expenſas, per Cancellarium Delegationis taxandas.*

Probata per teſtes, in termino legitime expleto, compenſatio debiti cum annuo majori credito; temporis decurſus, quo creditor ex *littera cambii* ſiluit: inopia item creditoris Corrado; ac ſæpe inter eum, & debitorem calculata coram Judice ratio, occaſione exactionis annui cenſus; huic caſui aptari poſſe *L. Procula* 26. *D. de probat.*, omnino ſuadent.

Ruſſomando Reg. Cam.

In cauſa D. Raphaelis de Chiara nomine, ut ex actis, cum Ill. Commendatario D. Dominico Alimena. Die 24. *Septembris* 1776.

Licet is, in cujus beneficium conſcripta eſt teſſera collybi, diſtulerit Trahenti denunciare, eam neque acceptatam, neque ſolutione extinctã fuiſſe a *Tractario*; nihilominus Trahens haud liberatur.

INſpectis omnibus actis, decrevit Ill. Marchio Regius Conſiliarius D. Hippolitus Porcinari Commiſſarius Generalis, & Delegatus Cambiorum: *Ill. Commendatarius D. Dominicus Alimena ſolvat in beneficium magn. D. Raphaelis, filii & heredis qu. D. Dominici de Chiara ducatos* 700., *ei debitos virtute litteræ cambii diei* 25. *Martii* 1758. *fol.*2., *una cum intereſſe ducatorum* 6. *in ſingulos* 100., *a die* 29. *Aprilis anni* 1763. *ſecutæ proteſtationis ejuſdem litteræ cambii fol.*4. *Et reſpectu prætenſæ per Ill. Commendatarium rationis habitæ in computo quantitatum debitarum per qu. D. Franciſcum Alimena ipſius fratrem præfato qu. D. Dominico de Chiara uſque ad menſem Auguſti* 1759. *fol.*60., *etiam prædictæ litteræ cambii ducatorum* 700., *relatæ in libris Regii Theſaurarii Provinciæ Citerioris Calabriæ in ſatisfactionem ſimilis crediti Regiæ Curiæ ex cauſa functionum Fiſcalium Civitatis Montiſalti, uſque ad diem*

8. *Aprilis* 1758. *fol.* 37., *in biduo audiantur partes; facta obligatione per eundem D. Raphaelem de Chiara de restituendo quantitates ei solvendas virtute præsentis decreti, viso exitu termini.*

Neutiquam enim in jure *cambiorum* scriptum reperitur, nec usu receptum, trahentem, sive scribentem *litteram cambii* liberari, cum ea haud acceptata a tractario non decocto, cui protestatio notificata est tam acceptationis, quam solutionis non factæ, creditor negligat trahentem sive scribentem certiorem statim reddere, sibi tractarium satis non fecisse. *Prag. sane VI. de litter. camb.* §. 4. tempus dierum quatuor statuitur, postquam dies cessit acceptationis, atque solutionis, quibus cambii creditor contra tractarium protestationes non acceptationis, & non solutionis peragere teneatur; iisque deficientibus subditur; *non possa la persona a chi va pagarsi la sudetta lettera aver più regresso contro la persona, che averà scritta la sudetta lettera di cambio ma resti penitus a carico di essa persona, alla quale dovea farsi il pagamento; e lo scribente resti liberato.* Sed patrii cambiorum juris ea mens fuit, diuque extitit servatum, quod si creditor distulerit contra tractarium protestationes explere, isque interim decoxerit, sibi damno cedat negligentia sua, nec ei actio detur contra scribentem, qui si scisset defecisse tractarium, indemnitati suæ consulere potuisset. Nunquam certe cavit Pragmatica, cambii creditorem teneri statim trahenti notum reddere tractarium, qui in bonis est, quique debitor non est trahentis, litteram cambii nec acceptasse, nec satisfecisse. Quis enim sibi persuadere posset, negata solutione a tractario non decocto, qui debitor adjectus, fidejussor, sive potius debendi correus cum scribente censendus est cum acceptaverit, liberari trahentem; & ob dilatam protestationem non secutæ satisfactionis, excipere posse, se ab onere cambialis debiti

biti immunem esse; maxime cum tractarius trahentis debitor non fuerit, isque traxerit, ut ajunt, *scoverto?*

Quamvis igitur *litteram cambii* ducatorum 700. scriptam D. Alphonso de Majo ab Ill. Commendatario Alimena die 25. Martii 1758. favore fratris sui D. Francisci Alimena *per la valuta ricevuta in tante diverse cautele, biglietti, e polise di consimile summa giratemi come per istrumento fol.*2., & ab eo solvi demandata D. Raphaelo de Chiara *per altri tanti*, Majo tractarius non solverit *per le cause scritteli*, ut in protestationis actu legitur, *fol.*3., sibique fieri legitimo tempore actum protestationis passus fuerit, nec ante diem 29. Aprilis 1763. creditor de Chiara adversus Ill. Commendatarium scribentem sive trahentem protestationis ob non solutionem tractarii Majo expleverit actum; frustra tamen hinc Ill. Commendatarius, ab onere cambialis debiti, ob ei non factam intra quadriduum solutionis non sequutæ protestationem, immunis esse contendit; maxime cum in termino probatorio nec fuerit probatum Majo tractarium, qui bonis nunquam cessit, Ill. Commendatarii debitorem esse, eique damnum profecisse respectu tractarii ex dilatata sibi protestatione, eum creditori de Chiara satis non fecisse.

Nec valuit excipere detrimento sibi dilatam protestationem fuisse respectu fratris sui D. Francisci Alimena, qui tunc ad inopiam vergebat, demumque sequenti anno 1759. obæratus bonis cessit. Fatum primi creditoris D. Francisci Alimena nocere ei, cui is litteram cambii solvi demandaverat, antequam bonis cederet, (ut ex actu protestationis nomine D. Raphaelis de Chiara tractario Majo non solventi expleto die 15. Aprilis 1758. manifeste apparet) nocere non potuit.

Nec erit qui sibi persuadere unquam possit, quod Ill. Commendatarius in protestatione ei peracta anno 1763. excepit, se, scilicet, fratri suo reddidisse, quæ ab eo

pro scribenda littera cambii D. Alphonso Majo receperat, quæque suis verbis supra exscripta sunt: Quodque etiam habetur ex secunda littera cambii in termino per Ill. Commendatarium exhibita, in cujus adversa cera sequens legitur declaratio: *Si sono a me restituiti dal Cavaliero F. D. Domenico Alimena mio fratello li retroscritti ducati 700., per non essermi servito della prima di cambio di consimile somma, per averla dispersa, e stante la restituzione di detta somma la dichiaro irrita, cassa, e nulla, e trovandosi, non abbia veruna effetto. Montalto 28. Marzo 1758. Francesco Alimena di Girolamo fol. 57.*

Triduo post, quis enim credat, alteri fratri fratrem reddidisse, quæ receperat ut litteram cambii scriberet ei, sive cui solvi is demandasset, implendam? Ignorare haud poterat Ill. Commendatarius primas litteras cambii conscribi, ut a tractario acceptentur: Et secundas primarum esse suppletorias, si forte fortuna disperdantur. Non eo igitur ignarus censendus est, ut fratri fidem haberet, primamque litteram cambii crederet fuisse deperditam, nec ea fratrem fuisse usum, alteri illam solvendam demandando. Quod denique si evenit; ejus binæ fidei damnum pati non debet heres D. Raphaelis de Chiara, qui tempore habili delegationem crediti susceperat. Nec ignorantia (si erit credenda) in qua fuit Ill. Commendatarius cessionis litteræ cambii in beneficium D. Raphaelis de Chiara sibi damno fuit. Eo ære alieno obrutus erat D. Franciscus Alimena, ut Ill. Commendatarius non valeret pretium litteræ cambii (ut asserit) fratri restitutum, ex ejus bonis recipere. Habetur ex actis ipsius Patrimonii hypothecarios creditores, anno 1758. anteriores, pretium ordine Judicis æstimatum suorum bonorum tantum excedere, quantum satisfactioni non solum apodixariis creditoribus, inter quos Ill. Commendatarius recensendus foret, sed

sed etiam hypothecariis, & anterioribus creditoribus, impares sint, *fol.* 128.

Quæ denique Ill. Commendatarius excepit ex ratione per D. Raphaelem de Chiara reddita eidem D. Francisco usque ad mensem Augusti 1759., pleniorem requirebant indaginem, termino ordinario utrique parti dato, habendam. Cum in prædicto computo sive *bilancio* (in termino summario rite verificato sequens inspiciatur debiti D. Francisci Alimena quantitas, vulgo *partita*. *Deve per saldo del suo conto vecchio docati* 9., *e grana* 90. aliisque mutui crediti, & debiti usque ad mensem Augusti 1759. relatis quantitatibus, reliquum notetur ejus debitum ducatorum 311. 80. *fol.*60., Ill. hinc Commendatarius prioris litteræ cambii ducator. 700. diei 25. Martii 1758. satisfactionem opposuit, novamque credito heredis D. Raphaelis de Chiara ex narrato computo, contra D. Franciscum Alimena causam præbuit, & pro ducatis tantum 311. 80.

At animadversum fuit, hujusmodi litteræ cambii ducatorum 700. creditum a D. Raphaele de Chiara æquali debito D. Francisci Alimena pro functionibus Fiscalibus Civitatis Montisalti Regiæ Curiæ debitis ad diem usque 23. Martii 1758. fuisse adscriptum, adeout in debitorum Regiæ Curiæ albo ille retulerit Ill. Commendatarium his verbis: *Montalto per mano di D. Francesco Alimena: Poliza del Cavaliero Alimena in Majo docati* 700., ut Fiscalibus Citerioris Calabriæ libris probatum extat *fol.*37. Ideoque in ratione reddita D. Francisco Alimena ad mensem Augusti 1759. verbis. *Deve per saldo del conto vecchio ducati* 9. 90. dubitari poterat, an creditum comprehenderetur, quod Regiæ Curiæ fuerat tributum, & ab altero, nempe ab Ill. Commendatario in ejus libris relato debitore, deberetur.

His additum, ex eodem computo haberi interesse ad onus D. Francisci Alimena, ut inter Negotiatores servatur, rela-

relatum his verbis fuiſſe. *Rata al 6. per* 100. *dal primo Febrajo per tutto Agoſto* 1758. *docati* 18. 90., quibus, demptis quantitatibus ſucceſſive ſolutis, altera, *Rata per tutto Agoſto* 1759. *docati* 17. 90., addita etiam fuit *dict. fol.* 60. Ideoque probari , inter debitum *per ſaldo del conto vecchio* ex quo intereſſe trahebatur ex menſe Februarii 1758. , comprehenſum non eſſe creditum ducatorum 700. quod ex littera cambii ſequentis menſis Martii ejuſdem anni adverſus Ill. Commendatarium manabat , & quo debitum ducatorum 629. 69., unde intereſſe trahebatur, remanebat extinctum.

Neque his valuit opponere computum prædictum reſpicere, quod actum fuerat inter D.Franciſcum Alimena, & D.Raphaelem de Chiara ex cauſa tantum Fiſcalium functionum Civitatis Montiſalti, idque probari ſequentibus ejuſdem computi verbis *e per li docati* 2188. 25., quibus functionum Fiſcalium debitum indigitatur: Ideoque creditum ducatorum 700. ex littera cambii, procul dubio ad ſcribendum eſſe inter reliquum, quod menſe Auguſti 1759. debebat D. Franciſcus Alimena *per ſaldo del conto vecchio*.

Functionum enim Fiſcalium debitum annuum , quod Civitas Montiſalti , etiam pro ſuis Caſalibus tunc Regiæ Curiæ pendebat, ad ducatos uſque erat 2820. 2. 11. , ut ex Regiæ Cameræ Regeſtis, computiſque D.Raphaelis de Chiara probatum extitit , *fol.* 140. Alio idcirco ducenda erat quantitas in bilancio exſcripta *e per li docati* 2188. 27. Et ſi forte eadem eſſet , reliquumque anni 1758. Regiæ Curiæ creditum præſeferret , inferri hinc non poſſet, inter mutuas rationes habitas ad menſem uſque Auguſti 1759., litteram cambii, de qua agitur, in prioris temporis Regiæ Curiæ creditum relatam, fuiſſe comprehenſam, dum ex eodem *bilancio* ſumitur, ea poſthabita, intereſſe ab antecedenti tempore, ex menſe ſcilicet Februarii 1758., ſuper reliquo debito inter mutuas rationes fuiſſe adſcriptum. Et

Et quamvis per Ill. Commendatarium attestationes quædam mox fuerint exhibitæ, quibus probare præsumit onus Regiæ Curiæ quotannis debitum per Civitatem Montisalti ac nonnulla ipsius Casalia esse ad ducatos 2220., & asses 35., quos tantum D. Franciscus Alimena solvendos sibi constituerat, reliquum onus in Regestis Regiæ Curiæ notatum pensitari sejunctim per Casalia Buccitæ, S. Sixti, & S. Vincentii *fol.* 143., id tamen ei minime opitulatur. Summa enim ducatorum 2188. in relato computo adscripta, si forte Fiscalibus functionibus Civitatis Montisalti, & Casalium pro ducatis 2220. 35. esset referenda, referri quidem potest ipsorum debito erga Regiam Curiam, usque ad mensem Augusti 1759. ex mense Martii prioris anni 1758., quo debito ducatorum 700., cui tunc tenebatur D. Franciscus Alimena, nomen cessum Ill. Commendatarii pro æquali summa virtute litteræ cambii de qua agitur, fuit appositum.

Quæ denique, si forte aliter essent, non eo sequebatur, exceptione redditarum rationum, in quibus creditum de quo actum esset comprehensum, neque ictu oculi liquebat, creditorem indubium creditum præseferentem ex littera cambii, executive, sive in summario judicio repelli posse. Sed vix erat diei ordinariæ remittenda hujusmodi haud plene constans exceptio, quæ accuratiorem quæstionem merebatur.

Nel-

Nella causa tra li magn. Creditori del Patrimonio di D. Nicolò Gambardella col Curatore del Patrimonio medesimo. A dì 22. Dicembre 1774.

Qui anterioris hypothecæ privilegio gaudet, cum ceteris concurrere, qui crediti partem remiserunt, non tenetur.
Merce statuta die haud tradita, pretium, in quo id, quod interest continetur, persolvi debet; utrum vero & usuræ præstandæ sint, Judicis prudentiæ, qui debitoris moram trutinetur, relinquitur.

SEguita la rassegna de' beni di D. Nicola Gambardella nel Supremo Magistrato, *fogl.* 1., si fece un foglio per la elezione de' Deputati de' Creditori, colla facoltà di esigere, e di amministrare i beni del decotto comun debitore, e di fare ogn'istanza per la dismissione del Patrimonio, dedotto dal medesimo: qual foglio fu sottoscritto da tutti li Creditori, e fra gli altri dal magn. D. Saverio Filingieri, colle seguenti parole: *Saverio Filingieri mi contento, ut intus, non pregiudicando alla mia anteriorità istromentaria, sì contro gli Apodissarj, come contro Gambardella, e di potere sperimentare giudiziariamente le mie ragioni in qualunque tempo*; e questa soscrizione presso a poco è uniforme a quella del magn. D. Antonio Cesare *fogl.* 21. Con decreto del Sign. Commessario fu ordinato di eseguirsi la Deputazione, convenuta tra' Creditori, e tra le altre provvidenze, date a tenor del *Piano* del Supremo Magistrato, fu ordinata la relazione de' Creditori *fogl.* 23., che fu formata dall'Attitante *fogl.* 164. Si venne alla discussione dei crediti, e con decreto del Signor Commessario, fu ammesso nel secondo luogo tra' Creditori ipotecarj il credito del magn. D. Saverio Filingieri di ducati 421., per prezzo di 20. salme di olio, che doveva consegnargli il Gambardella nel mese di Marzo del 1773.: e fu ammesso ancora nel quarto luogo a favor dello stesso Filingieri altro credito di ducati 3000., dal medesimo pagati al Gambardella in conto del prezzo di altre 200. salme di olio, da consegnarsegli nel mese di Marzo del corrente anno 1774.: come altresì furono ammessi, fra gli altri Creditori istrumentarj, simili crediti a favor di D. Antonio Cesare

nel

nel terzo luogo, di D. Gaetano Ricciardi nel quarto, e di D. Diodato Barone nel quinto luogo, con essersi impartito termine per la rifazione de' danni ed interessi, pretesa da' Creditori istrumentarj, e fra questi dai poc'anzi nominati, menochè dal sudetto Filingieri rispetto al primo de' suoi crediti importante ducati 421. *fogl.* 220. Badò alla compilazione di tal termine il solo Filingieri, anche per lo sudetto credito di ducati 421., *fogl.* 269.; nella cui compilazione, con esame di testimonj, ha provato l'uso di esigersi da'Negozianti l'interesse alla ragione del 6. per 100., e con documenti ha giustificato la voce degli olj di Gallipoli, stabilita dalla Regia Camera in Dicembre 1773., essere stata di ducati 18. la salma, e nel mese di Marzo esserne seguite le contrattazioni a ducati 20., e grana 40. e ducati 20. 60. la salma, *fogl.* 225.

Ma il magnifico Curatore del Patrimonio, essendosi doluto del termine impartito del decreto della discussione, oppose di avere i Creditori comunicate le ragioni tra loro, e rinunziato al dritto di essere rifatti di danni, ed interessi per la non ricevuta consegna degli olj, quando concorsero nell'elezione de' Deputati, colla facoltà esposta di sopra; ed aggiunse alcune assertive di fatto, non giustificate, rispetto al primo credito del Filingieri di ducati 421. *fogl.* 239. Per contrario Ricciardi, e Barone, inerendo alle istanze del Filingieri, han dimandata una stessa provvidenza in rapporto a'danni, ed interessi patiti per la consegna non ricevuta degli olj *fogl.* 243. Fece una simile dimanda D. Antonio Cesare, sulla quale fu interposto decreto dal Signor Commessario, che il termine dato nel decreto della discussione corresse da ora *fogl.* 244.; ma il magn. Curatore produsse istanza di gravame contro di tal decreto, per le ragioni divisate di sopra *fogl.* 245.; e D. Antonio Cesare ne chiese la conferma, *fogl.* 246. Si ve-

vede quindi un'istanza , del Signor Commessario *fogl.* 246. Sottoscritta dà' magn. Deputati de' Creditori , e dagli altri Creditori istrumentarj , a riserva de' nominati di sopra , nella quale , spiegando essi di essere stata volontà de' Creditori nell'elezione de' Deputati comunicarsi le ragioni tra loro, e rimettere al debitore ogni ragion di danni , e d'interessi , per farsi tutti capienti de' rispettivi capitali , o siano sorti ; si oppongono alle istanze de' Creditori dissensienti a tal diloro volere, anche gravandosi del termine impartito nel decreto della discussione *fogl.* 249. Dal certificato per altro dello Scritturale , eletto da' magn. Deputati per lo *stralcio* del negozio del Gambardella , si ricava , che dal mese di Gennajo 1773. furono dal medesimo rimessi in varie partite, fino al mese di Novembre dello stesso anno , ducati 88. mila a Stefano Ravenna in Gallipoli per comprarne olj, *fogl.* 272.

Dagl' istromenti stipolati tra' sudetti magn. Filingieri , e Gambardella si ha , rispetto al primo de' suoi crediti ammesso per ducati 421. , che nel 1771. furono vendute dal Gambardella al Filingieri salme 150. di olj , da consegnarsi in Marzo del 1772. al prezzo della voce con grana 37. e mezzo di più per ciascuna salma , e con altro contratto ne fu differita la consegna in Marzo del 1773. al prezzo al pari della voce, che si sarebbe fatta in Dicembre 1772. per l'anno 1773.: de' quali olj , salme venti non consegnate a D. Francesco Torre , che comprò tutte le 150. al prezzo di ducati 21. la salma, costituiscono il primo sudetto credito di ducati 421., compresavi la spesa del protesto : Ed intorno al secondo credito si pruova di essere il medesimo dipendente da 200. salme di olio , che il Gambardella si obbligò di consegnare al Filingieri in Marzo del corrente anno 1774. al prezzo di carlini 6. più della voce , che sarebbesi fatta per gli olj di Gallipo-

lipoli; con efferfene pagati in conto ducati 3000.; ed in tutt'i fudetti contratti fi legge il folito patto, che mancando il Gambardella dalle refpettive convenute confegne, egli foffe tenuto a tutt' i danni, fpefe ed intereffi, che quindi il Filingieri ne veniffe a ricevere, e colla facoltà al medefimo di comprar gli olj anche a maggior prezzo, ed a danno del Gambardella *fogl.*69.

Con una fupplica del magn. Curatore facendofi noto al Supremo Magiftrato il *Piano*, già ftabilito per la difmiffione del Patrimonio, col pagamento delle forti, o fian capitali fra un anno, fenza intereffe, a' Creditori iftrumentarj, che non foffero capienti ne' depofiti fiftenti negli atti; alla ragione del 70. per 100., e del 50. per 100. a' Creditori apodiffarj su gli effetti del Patrimonio di Stefano Ravenna; l' uno, e l'altro fenza alcuna deduzione di fpefe, o fatte, o da farfi, e fenza rimanere efclufi, o pofpofti i Creditori al credito delle doti e dell' antefato della moglie del debitore, ammeffo nel primo luogo nel decreto della difcuffione; fi conchiude, che il Supremo Magiftrato debba obligare tutt'i Creditori diffenfienti a aderire allo fteffo *Piano*, fenza dar luogo alle di loro pretenfioni di danni, e d' intereffi per gli olj non confegnati dal comun debitore *fogl.* 275. Tre Mezzani di Cambj, intervenuti allorchè fu ftabilita l' elezione de' Deputati, atteftano di efferfi convenuta tra tutt'i Creditori la difmiffione economica del Patrimonio, *fogl.* 273. Finalmente D. Antonio Cefare, col confenfo de' Deputati de' Creditori, e della moglie del Debitore, domanda l'efecuzione di tal *Piano* rifpetto al fuo credito, e la liberazione de' depofiti efiftenti negli atti dell' importo di effo alla ragione del 70. per 100., fenza fuggiacere a rata alcuna di fpefe *fogl.* 278.

Offervati tutti gli atti, a relazione dell' Ill. Regio Configliere Sign. D. Ippolito Porcinari Commeffario.

Rr 2 Dal

Dal Supremo Magistrato di Commercio si è dichiarato, siccome in forza del presente decreto si dichiara, che *ragione alcuna non avendosi del dedotto, asserito, e non provato dal magn. Curatore del Patrimonio del magn. D. Nicolò Gambardella, rispetto al primo credito del magn. D. Saverio Filingieri, resti fermo, e si esegua il decreto del Sign. Commessario, col quale è stato il medesimo ammesso tra' Creditori del Patrimonio.*

E parimente, non avendosi alcuna ragione della pretesa dal magn. Curatore comunicazion di ragioni, e rinunzia di ogni maggior dritto, che avesse fatta il Filingieri per i suoi crediti istrumentarj, ed anteriori, come opposta al di lui consenso, ed alle riserve di ragioni espresse nella di lui sottoscrizione al rapportato foglio; e senza pure tenersi conto della pretesa concorrenza di lui a' rilasci de' respettivi crediti convenuti da' Creditori anche istrumentarj di maggior somma, come quella, che è riprovata dalla legge rispetto a' Creditori ipotecarj L. Rescr. 10. ff. de Pactis, mal si conviene al dritto, che all' anteriori ipoteche anche per le accessioni della sorte, somministra la L. Lucius Titius 18. ff. qui potiores in pignore habeantur, ed è opposta alla riserva dell' anteriorità istrumentaria espressa nel consenso del Filingieri all' elezione de' Deputati de' Creditori i quali con tal condizione ammisero, tra gli altri consensi liberi, il consenso di lui con condizioni e riserve; sia condannato il Patrimonio del Gambardella a pagare ad esso Filingieri, oltre del sudetto credito di ducati 421., e de' ducati 3000., l' uno, e l' altro ammessi nel decreto della discussione, tutto ciò, che, compresivi i sudetti ducati 3000. importa il prezzo di 200. salme di olio alla ragione di ducati 20. e grana 40. la salma, come almeno contrattavansi gli olj di Gallipoli nel mese di Marzo del corrente anno, quando dovea seguirne la consegna al Filingieri, e per cui aveva egli antici-

pati

pati al Gambardella i sudetti ducati 3000 : da calcolarsi tal maggior prezzo dall'Attitante della Causa.

E ciò, tanto in forza della legge, la quale obbliga il Venditore, che ha mancato di consegnare nel designato tempo al Compratore la merce venduta, a pagargliene il prezzo che la medesima aveva nel tempo convenuto L. 3. §. 3. L. 21. §. 3. ff. de action. empt. L. Ult. de condict. tritic., L. Vinum de rebus creditis, (senza che a tal regola legale osti la qualità del Gambardella decotto, per virtù del patto espresso nell'istrumento della vendita degli olj uniforme alle disposizioni della legge, e che si è rapportata di sopra, patto, che non può rimanere abolito per la mutazione dello stato del promissore) quanto in correspettività e conseguenza dell'ammissione del primo credito del Filingieri per la somma di ducati 421. seguita di consenso de' Creditori; giacchè la medesima si compone dal prezzo degli olj non consegnati nello stabilito tempo dal Gambardella, e che il Filingieri dovette rifare a D. Francesco Torre, a quel prezzo, per cui gli aveva venduti al medesimo.

Dagl' interessi però, che si son pretesi, rispetto così all'uno come all'altro credito da' rispettivi tempi, da' quali se ne doveva il pagamento al Filingieri, il Supremo Magistrato dichiara, che resti assoluto il Patrimonio; giacchè nel prezzo della merce non consegnata rispetto al tempo della non seguita consegna va compreso lo id quod interest, cui la legge condanna il promissore inosservante dict. LL. 3. §. 3., e 21. §. 3. L. 1. L. 11. §. 9. ff. de action. empt., L. 4., & 10. Cod. eod. tit. Ed oltre a ciò, dovendosi le non convenute accessioni della sorte, quali sono tali interessi; per effetto della mora del debitore, la quale è rimessa, giusta le circostanze de' fatti al prudente arbitrio del Giudice L. 17. §. 3., & L. 32. ff. de usuris, non ha trovato il Supremo Magistrato nel Gambardella il carattere di un moroso

roso e fraudolente debitore; sì per l'esatta rassegna de' suoi beni, che fece nelle mani del Giudice; come per essersi giustificato di esser derivata la di lui decozione, per aver fidati con eccessiva buona fede, appunto ad oggetto di comprar olj, ducati 88. mila a Stefano Ravenna; il quale fraudolentemente è mancato: Aggiungendosi a tutto ciò, non solo, che dopo la rassegna fatta dal debitore nel Supremo Magistrato in Dicembre dello scorso anno, la mora in non pagare i crediti del Filingieri, sarebbe stata del ceto de' Creditori, che non può dirsi moroso, nè soffrir della mora gli effetti, ma benanche, che lo stesso Filingieri ha conosciuto di non doversegli tali interessi, non avendogli pretesi nel primo suo credito, allorchè fu discusso; nè essendosi richiamato del decreto della discussione, che per essi non impartì neppure il termine; sebben poi avesse inteso di compilare irregolarmente, anche rispetto agl' interessi per tal credito, quel termine, che col decreto della discussione soltanto ottenne per gl' interessi del secondo suo credito.

E' stato inoltre provveduto dal Supremo Magistrato, che il termine dato nel decreto della discussione rispetto a' danni ed interessi pretesi da' magn. D. Gaetano Ricciardi, e D. Diodato Barone corra da ora, anche sul dedotto ed opposto dal magn. Curatore, intorno, così alla comunicazione di ragioni trà Creditori, che egli ha preteso di essersi convenuta nell' elezione de' Deputati, come alla concorrenza a' rilasci fatti dagli altri Creditori anche instrumentarj; giacchè i sudetti Ricciardi, e Barone prestarono senza riserva alcuna i lor consensi all' elezione de' Deputati: il decreto di termine trovasi accettato da' medesimi, e non compilato: e la Pramm. 7. de ordine judiciorum dispone che nelle controversie che intorno a' fatti si aggirano, il termine alle prove s' intende dato ipso jure, absque Judicis ministerio.

Fi-

Finalmente prescrive il Supremo Magistrato, che a tenor de' consensi prestati dal magn. D. Antonio Cesare, da' Deputati de' Creditori, e dalla moglie del debitore prima Creditrice, si faccia a favor dello stesso Cesare la liberazione del suo credito col convenuto rilascio del 30. per 100., senza dover egli soggiacere a deduzione, e pagamento di qualunque spesa.

Priscolo Attitante.

Nella causa tra li magn. Creditori Cambisti sulla Nave del Padron Costantino Stinga, colli magn. Parziali, ed altri interessati sopra detta Nave. A di 9. Dicembre 1775.

IL Negoziante D. Giulio Palomba diede a cambio marittimo a Costantino Stinga del Piano di Sorrento ducati 300. in tre volte, le due prime sopra Nave, che si costruiva, e si sarebbe appellata la Risurrezione, la terza volta sopra la Nave nominata la Risurrezione, siccome costa dagl' istromenti, e dalle partite di Banco, *fogl.* 16. *ec. vol.* 1.

Potior est, qui vel ad extruendã, armandamque navem, vel in cibaria nautarũ pecuniam dederit. Potior quoque existimatur, qui, ante susceptum iter, pro ultima expeditione navis pecuniam mutuaverit, etsi nullo intercedente proprietariorum consensu.

Da alcune polize bancali del 1769. apparisce, che diedero anche a cambio marittimo allo stesso Stinga per le spese dell' ultimo spedimento della Nave detta la Maddalena, e coll' ipoteca della medesima, D. Crescenzo Cappiello ducati 500. *fogl.* 282., D. Gennaro Vernucci ducati 100. *fogl.* 172., e D. Pasquale di Martino altri ducati 200. *fogl.* 87.

Altre polize bancali, sottoscritte dal medesimo Stinga nel 1769., e nel 1770., dimostrano, che prese egli a cambio marittimo, e per ultimo spedimento, ipotecando le sue carate sulla Nave medesima detta la Maddalena, ducati 300. da D. Sebastiano Paolillo *fogl.* 16., ducati 200. da D. Domenico Pollio *fogl.* 52., altri ducati 200. da D. Antonio Caracciolo *fogl.* 289., e da D. Filippo Guglielmi altri ducati 100. *fogl.* 81.

Fi-

Finalmente con due altre polize bancali di ducati 100. a favor del Rev. D Giuseppe Califano *fogl.* 151., e di altri ducati 100. a beneficio di D. Baldassarre Aurifichio *fogl.* 169. si prova, che l'uno, e l'altro diedero allo Stinga a cambio marittimo le dinotate somme, senza spiegar che servivano per le spese dell' ultimo spedimento della Nave detta la Maddalena.

Col decreto della discussione de' crediti sul Patrimonio di esso Costantino Stinga, confermato dal Supremo Magistrato *fogl.* 331., per l'ammissione di alcuni de' sudetti Creditori fu riserbata la provvidenza, seguita che fosse la verificazione delle polize de' loro crediti, e per la poziorità pretesa da quelli tra de' medesimi, che per averle verificate erano stati tra' Creditori ammessi, fu impartito lo stesso termine che fu dato per la poziorità domandata da D. Giulio Palomba per lo sudetto suo credito ammesso nel decreto della discussione *fogl.* 293. In seguito del quale decreto di discussione e seguita la compilazione del termine ad istanza di tutt' i sudetti Creditori; nel quale coloro, che non avean verificate le loro polize, hanno inteso verificarle, e tutti colle deposizioni de' testimonj esaminati han preteso di giustificare la poziorità domandata sul prezzo della cennata Nave, venduta presso gli atti del Supremo Magistrato, con essersene liberato il prezzo a' Creditori dello Stinga; così quelli ch' ebber da lui cedute alcune delle 24. carate, nelle quali egli divise il corpo della stessa Nave; come gli altri, che somministrarono a lui danaro per compra di generi, che si dovean vendere in America, per dove era indirizzata la Nave medesima.

Fattosi del tutto parola nel Supremo Magistrato di Commercio dall' Ill. Regio Consigliero Sig. D. Ippolito Porcinari Commessario.

Dichiara il Supremo Tribunale: *che si appartiene al magn. D. Giu-*

D. Giulio Palomba la domandata poziorità sull' intiero prezzo della Nave detta la Maddalena per lo di lui credito ammesso nel decreto della discussione fogl. 293., fatto l'obbligo dal medesimo di restituire, casocchè si costasse di esser stati impiegati i ducati 300., da lui dati allo Stinga, a costruire altra Nave.

Dichiara parimente il Supremo Magistrato, *doversi ammettere tra' Creditori del Patrimonio D. Crescenzo Cappiello, D. Gennaro Vernucci, e D. Pasquale Martino per i rispettivi loro crediti di sorte, ed interesse alla ragione del 6. per 100. per ora, fino all' arrivo della Nave nel Porto di questa Capitale; ed appartenersi loro la stessa poziorità sulle rate del prezzo della medesima; e sue mercanzie, spettanti così al mentovato Stinga, e per esso a' suoi Creditori per le carate rimaste al medesimo, come a coloro, i quali acquistarono le lor carate sulla Nave, e quelle mercanzie dopo de' contratti fatti a cambio marittimo dallo Stinga co' sudetti Cappelli, Vernucci, e Martino. Restino ben vero assoluti dalla pretesa poziorità i caratarj sulla Nave solamente, i quali ebber cedute le loro carate prima de' contratti sudetti.*

Similmente il Supremo Magistrato dichiara, *doversi ammettere tra' Creditori D. Sebastiano Paolillo, D. Domenico Pollio, D. Antonio Caracciolo, e D. Filippo Guglielmi pei rispettivi loro crediti, e per l' interesse parimente, alla ragione del 6. per 100., decorso fino all' arrivo della sudetta Nave nel Porto per ora; e competere a' medesimi Creditori la stessa poziorità sul prezzo solamente della sudetta Nave, e mercanzie, spettanti, tanto alle carate rimaste allo Stinga ne' rispettivi tempi de' contratti di cambio, quanto a' Creditori del medesimo per compra di mercanzie: con che restino assoluti dalla pretesa poziorità tutti gli altri Creditori cessionarj di carate sulla Nave.*

Dichiar'ancora il Supremo Magistrato, *doversi ammettere coll' interesse medesimo, e per lo sudetto tempo per ora, i crediti del Rev. D. Giuseppe Califano, e del sudetto magn. D. Baldassarre Aurisicchio: Non appartenersi loro però alcuno dritto di pozziorità.*

E finalmente rispetto all' interesse preteso da tutt' i sudetti Creditori dal tempo, che arriva la Nave nel Porto, fino a che siano soddisfatti de' loro crediti, il termine dato su di una tale petizione, detto fogl. 293., corra da ora.

Si è tratta la ragion di decidere della pretesa pozziorità (unico punto di cui si è tra le parti conteso) dal seno delle leggi che la concedono a chi somministra il suo danaro *in Navem extruendam, instruendam, armandam*, o pure *in cibaria nautarum L. 26. L. 32. ff. de Reb. auct. Jud. possidendis L. 5. L. 6. ff. qui potior in pignore habeatur. Nov. 97. §. 6.*

Imperciocchè rispetto al credito di D. Giulio Palomba; sebben si opponesse di aver egli somministrato il suo danaro per costruire altra Nave, che avea nome la Risurrezione, ha pur egli provato, anche colla dichiarazione dello stesso Stinga *fogl.* 14., che una sola Nave fu da lui costrutta, che prima avea nome la Risurrezione, ed ebbe poi quel della Maddalena. E n'è stato vieppiù persuaso il Supremo Magistrato; dacchè non si era fatta prova delle due Navi costruite dallo Stinga; nè era da credersi che avesse avuto egl' il modo da costruir due Navi di spesa considerevole. E pure ha stimato il Supremo Magistrato di permettere che si pruovasse l' opposto; nel qual caso ha data cautela agl' interessati di ricuperare dal negoziante Palomba, mercè del dilui obbligo, ciocchè ora per lo suo credito gli verrà liberato.

Ed a riguardo degli altri Creditori Cambisti, ha avuto per vero il Supremo Magistrato, che avendo tutti (a rifer-

riserva di D. Giuseppe Califano , e di D. Baldassarre Aurisicchio) l' espressione nelle loro polize di esser bisognato il lor danaro allo Stinga per l' ultimo spedimento della Nave (circostanza la quale per legge , e per uso della mercatura somministra al Cambista marittimo i diritti della poziorità) corrispondesse alla qualità del viaggio che dovea intraprendere la Nave per l' America , la spesa di ultimo spedimento non eccedente tra tutt'i Creditori la somma di ducati 1400.

Senza che ostasse alla necessità di contrarre un tal debito per l' ultimo spedimento della Nave l'istromento stipulato a 17. Febrajo del 1770. tra lo Stinga , e gli altri interessati nella proprietà , e mercanzie caricate sulla medesima , nel quale si legge di averle essi somministrati alcuni viveri , e comestibili *fogl.* 211. non escludendo l' assertiva fatta in un tal istromento che di altri viveri ancora , e comestibili ella bisognasse per un viaggio sì lungo , sicchè lo Stinga avesse avuto necessità di contrar per essi il debito di ducati 1400.

E senzachè parimente giovar potesse l' opporre , che per l' Articolo XVII dell' Editto di Navigazione del 1759. è stabilito che dritto alcuno non avessero sul corpo , e mercanzie de' navigli , coloro che dasser danaro a' Capitani delli medesimi per riattarli , o provvedergli di viveri , quando essendo essi nel luogo dove siano i proprietarj non prestino questi al debito il di lor consenso , o essendo assenti , il debito contratto col parere della maggior parte di coloro che siano su de' navigli , non sia notato dallo Scrivano nel suo libro , o giornale ; imperciocchè tal provvedimento convenuto nell' Articolo XVII. dell' Editto di Navigazione ha luogo , e devesi intendere per quei debiti che contraggano i Capitani de' navigli , dopochè questi sian varati in mare , ed abbiano intrapresi i loro viaggi : non già per quei debiti (come si avverava nel caso presente) che ab-

abbiano essi contratti per ultimo spedimento de'navigli, prima che o questi fossero varati in mare, o intrapresi abbiano i loro viaggi.

Nè altronde è derivato, se non che da' principj finora notati, l'essersi negata la poziorità a' Creditori di D. Giuseppe Califano, e di D. Baldassarre Aurificchio. Nelle polize dell'uno e dell'altro mancava l'espressione necessaria a costituir la poziorità dell'ultimo spedimento. E l'uno, e l'altro debito si eran contratti, dopochè partita la Nave alla volta di America, giunse in Pozzuoli, e di là fece ritorno in questa Capitale, donde altra volta partì, ed allora diedero il lor danaro l'Aurificchio, ed il Califano, i quali avrebber dovuto giusta l'Editto di navigazione del 1759. richiedere il consenso de' proprietarj della Nave ch'eran presenti per aver essi validamente obbligati ne' loro crediti.

La distinzione in oltre che si è fatta tra' Creditori, e Creditori nell'estensione del conceduto dritto di poziorità a favor di coloro a' quali si è giudicato di appartenere, è surta dalle diverse circostanze de' loro contratti.

Quelli che aveano generalmente ipotecata la Nave, hanno ottenuta la poziorità sull'intero importo di essa, e delle sue mercanzie: e sono stati esclusi dalla pretesa poziorità rispetto a coloro, che prima de' lor contratti aveano ottenute dallo Stinga le cessioni di alcune delle 24. carate, nelle quali avea egli diviso il corpo della Nave, ed il profitto della spedizione di essa per America; essendosi avuto per vero che quelle tali carate cedute prima non erano nel dominio dello Stinga, quando acquistarono questi tali suoi Creditori l'ipoteca generalmente della Nave e delle sue mercanzie co'loro contratti.

E per l'opposto di tal generale ipoteca, e della poziorità

tà anche sulle carate dagli altri acquistate, non eran capaci quei tali Creditori, i quali ne' loro contratti si eran contentati della speciale ipoteca delle sole carate, tra le 24. che per se ritenne lo Stinga, e che furono in fine carate 4., ed una mezza, sulle quali bensì tal dritto di poziorità era giusto che loro si fosse appartenuto, non altrimente che appartener dovea indistintamente contro di tutti coloro che avean dato il danaro per compra di generi che si doveano vendere in America.

Non si è potuto giudicare in fine dell'interesse che tutt'i sudetti Creditori avean domandato fino alla soddisfazione de' loro crediti; poichè essendo passato in giudicato il decreto della discussione *fogl.* 293., confermato dal Supremo Magistrato *fogl.* 314., questo dettava che i Creditori cambisti avesser per ora l'interesse alla ragione mercantile del 6. per 100. finchè la Nave ritornò nel Porto di questa Capitale (a norma di che si è deciso dell'interesse per quei Creditori che in quel decreto non furono ammessi) e fosse riserbata ad un giudizio sommario non compilato fin ora la cognizione dell' interesse da' medesimi Creditori pur domandato per lo successivo tempo fino alla soddisfazione de' loro crediti; interesse che incontrava il dubbio della decozione del Patrimonio del comun debitore, attenta la quale cessava la ragion del lucro, e del pericolo, e della mora dovea ripetersi il diritto dell'interesse, di cui non era capace un decotto debitore.

Nella causa tra Tommaso Cafiero, con i suoi Creditori. A dì 7. Settembre 1775.

D. Felice Solofra, con asserirsi Creditore di Patron Tommaso Cafiero di Sorrento nella somma di ducati 260., per prezzo di tanto Cioccolatto caricato sul di lui Checcio,

Ob fortuitum naufragium merce percinpta, non autem ad al as fervandas, quibus na-

vis onerabatur, in mare jacta, locus non est *avaria*, sive contributioni super his, quæ servata sunt.

cio, detto S. Cattarina, naufragato nelle acque di Vico Equense, ha dedotto di essere stato fraudolento il naufragio, ed ha pretesa la soddisfazione del suo credito, o di doversi almeno dar luogo all' avaria sulla roba caricata in quel Naviglio, e dal naufragio salvata, *fogl.* 127. Osservato intanto le prove testimoniali da lui fatte nella compilazione del termine impartito dal Sig. Commessario su di tale dimanda *fogl.* 128.: osservata ancora l'istanza del magn. Curatore del Patrimonio di esso Patron Cafiero, nella quale si oppone al credito, al preteso fraudolento naufragio, ed all'avaria domandata dal Solofra, *fogl.* 159.: Veduti gli atti: e fattosi del tutto parola nel Supremo Magistrato di Commercio dall'Ill. Regio Consigliere Sign. D. Ippolito Porcinari Commessario.

Il Supremo Magistrato dichiara, ***non esser stato fraudolento il Naufragio, seguito nell'acque di Vico del Checcio di Patron Tommaso Cafiero di Sorrento: Nè aver luogo l'avaria pretesa da D. Felice Solofra. Si debba però il di lui credito riferire tra' Creditori del Patrimonio di esso Cafiero, e discutere dal Sig. Commessario in vista delle prove fatto dal Solofra nel termine compilato.***

La ragione di così decidere si è presa, tanto dagli atti presso dell'Attuario Rossi del Testimoniale fatto a nome di Patron Tommaso Cafiero nel Regio Consolato di Mare, e Terra per lo seguito naufragio del suo Checcio, quanto dalle prove, che son negli atti di esser il medesimo avvenuto per lo sequestro, fatto di ordine di Uditor di Marina, di quel bastimento, a motivo del credito di zecchini 200. Tripolini, che contro di esso Patron Cafiero rappresenta Ahmet Cajà: sequestro, per cui gli furon tolte col timone le vele, onde sopragiunta una tempesta, fortuitamente, e senza frode ne seguì il naufragio.

E del-

E della pretes' avaria sulla roba salvata dal naufragio, è stato escluso il Solofra; perchè la perdita del suo Ciccolatto non è seguito per getto fatto in occasione di tempesta; onde per esso si fosse salvato il resto del carico, che per le leggi nautiche dovesse contribuire al danno sofferto dal Solofra; ma per fortuito, e non procurato, nè fraudolento naufragio del Naviglio, da cui alcune delle robe imbarcate su di esso furon salvate dalle onde.

Del credito non si è giudicato; ma se n' è riserbata la provvidenza nel tempo della discussione di tutt'i creditori; perchè nella scarsezza de' beni del comun debitore, dovean sentirsi nelle loro ragioni gli altri Creditori, i quali, sossistendo il credito del Solofra, non provato con scrittur' alcuna, giustificato col solo detto de' testimonj rimarrebbero incapienti.

Priscolo.

Nella causa tra D. Giuseppe Califano col Patrimonio di D. Nicolò Gambardella, e il Patrimonio di D. Francesco Maria Boraggine, e D. Andrea Ardissone. A dì 1. Febbrajo 1775.

Emptione ab eo contracta, qui proximus est decoctioni, ut dolosa nulla existimatur; quare merce adhuc existente, vel restituenda ipsa est venditori, vel saltem in ejus pretio venditor ipse præferendus.

D. Francesco Maria Boraggine da D. Giuseppe Califano a 2. Giugno 1773., con pubblico istrumento stipulato per mano di Notar Giosuè Ciannelli, comprò tom. 9000. di grano, cioè tom. 6000. duri di Manfredonia, e tom. 3000. majoriche di Trani, mercantili, e ricettibili, per lo convenuto prezzo di grana 17. a tomolo più della voce, che sarebbe uscita in Barletta, confermata della Regia Camera; il cui pagamento si stabilì, ripartito in sette uguali tanne, pagabili mese per mese, cominciando la prima dalla fine di Novembre 1773., e terminando l'ultima a 15. Maggio del 1774. *fogl.62.*

Con altro pubblico istrumento, stipulato a 21. Luglio 1773. per mano di Notar Giosuè Ciannelli vendè D.Francesco

ſco Boraggine al magn. D. Nicola Gambardella tomo ſa 6000. di grani, cioè 3000. duri, e 3000. majoriche tutti di Trani, mercantili, e ricettibili, e colla ſpecificazione del peſo, per gli duri di rotola 46. e mezza il tomolo, e per le majoriche di rotola 46., per lo convenuto prezzo di grana 15. a tomolo più della voce di Barletta, confermata, o moderata dalla Regia Camera; con eſſerſi convenuto, che in conto del prezzo, il Gambardella pagato aveſſe in tre ſettimane immediate ſeguenti la ſomma di ducati 6000., ed aveſſe avuto l' obbligo di pagare il dippiù ſubito che uſcita foſſe la detta voce *fogl.* 3.

Gambardella pagò a Boraggine prima ducati 6000., convenuti pagarglisi a conto, e poi altri ducati 2700. a ſaldo, e compimento dell' intero prezzo, giuſta la voce di Barletta, ſtabilita dalla Regia Camera a carlini 13. il tomolo, *fogl.* 40.; ma Boraggine pagò ſoli ducati 6615. a D. Giuſeppe Califano, in conto di ducati 13230., intero prezzo delle tom. 9000. de' grani vendutigli *fogl.* 91.

Ai 4. Dicembre 1773. D. Franceſco Boraggine diede l' ordine a Gambardella ſopra D. Domenico del Giudice in Trani per la conſegna delle mentovate tom. 6000. di grano, che da eſſo Gambardella fu girato a D. Andrea Ardiſſone, e da coſtui al Padron Gio: Calvi Genoveſe; il quale ordine, non accettato da D. Domenico del Giudice, ritornò in preteſto *fogl.* 6.

D. Giuſeppe Califano, colla ſteſſa data de' 4. Dicembre diè l' ordine a Boraggine per la conſegna delle tomola 3000. majoriche ſopra D. Domenico del Giudice di Trani, da eſſo Boraggine girato, e rimeſſo allo ſteſſo del Giudice, colla girata per dargliene conto *fogl.* 121.

Accadde il fallimento di D. Franceſco Maria Boraggine, colla deduzione del ſuo Patrimonio a' 10 Febbrajo del paſſato anno 1774., *fogl.* 149.; e nacquero due ſequeſtri,

ftri, uno, ad iftanza de' Creditori del Patrimonio di Gambardella, fulle tom. 6000. di grano, cioè 3000. duri, e 3000. majoriche, efiftenti in Trani in potere di D. Domenico del Giudice *fogl.* 46.; l'altro ad iftanza di D. Giufeppe Califano fulle tom. 3000. majoriche, da effo lui vendute a Boraggine, e che fi trovavano in potere del mentovato del Giudice *fogl.* 142.

D. Giufeppe Califano deduffe le ragioni di pertinenza su quelle tom. 3000. majoriche, colla refciffion del contratto, *& gradatim, conditionaliter, & fucceffive* la prelazione ful prezzo *fogl.* 55. Il Supremo Magiftrato a' 24. Marzo 1774. ordinò, che il Patrimonio del magn. D. Nicola Gambardella foffe affoluto dall'azione dedotta dal magn. D. Andrea Ardiffone: Che fi procedeffe alla vendita de' grani efiftenti in Trani preffo di D. Domenico del Giudice, ed il prezzo fi liberaffe a chi fpetta: E che fulle pretenfioni del magn. D. Giufeppe Califano fi prendeffe fommaria informazione *fogl.* 67.

Ci fu convenzione tra i Creditori del Patrimonio di Gambardella, e D. Andrea Ardiffone, alla quale increndo D. Giufeppe Califano, per quanto riguardava le tomola 3000. majoriche da lui pretefe, preftò il confenfo di confegnarfi al detto Ardiffone; purchè però fe ne foffe fatta prima l'apprezzo, ed aveffe egli dell' importo loro data la cautela in fuo beneficio di pubblico Negoziante di quefta Città *fogl.* 68.

Con decreto del Sign. Commeffario de' 2. Aprile 1774. fi ordinò l'efecuzione della detta convenzione, e contentamenti, data prima la cauzione da Ardiffone di reftituire, e pagare ad ogni ordine del Tribunale ducati 4560.; quale cauzione doveffe reftar ferma, con poziorità, per rapporto alle pretenfioni dedotte preffo gli atti da D. Giufeppe Califano *fogl.* 70. Si diè la pleggeria a Aprile 1774. preffo gli atti dal Marchefe D. Gio: Domenico Berio, il quale fi obbligò di pagare

ad ogni ordine del Supremo Magistrato la somma di ducati 4560; e ciò anche per cautela delle pretensioni sudette dedotte da Califano, e con poziorità, in tutto servata la forma dell' anzidetto decreto *fogl.* 73.

Si fece quindi la consegna in Trani delle tom. 3000. majoriche a D. Pietro Battista Ardissone, Procuratore di D. Andrea Ardissone suo padre, dal Regio Governatore di quella Città Delegato in virtù delle provisioni spedite dal Sign. Commessario *fogl.* 93.; ma prima seguì il giuridico apprezzo delle majoriche, che riuscì di carlini 14. e grana 2. e mezza il tom. *fogl.* 90.

Compilato intanto il termine da D. Giuseppe Califano, le pruove dimostrano, che quelle tom. 3000. majoriche consegnate ad Ardissone erano quelle medesime, che di proprio conto, e col proprio danaro di esso Califano incettato avea dal raccolto del 1773. D. Domenico del Giudice, e quelle medesime, che il detto Califano avea vendute a Boraggine, e contenute nell' ordine da lui dato a 4. Dicembre al mentovato Boraggine, e da costui cedute allo stesso del Giudice, per dargliene conto *fogl.* 98.

Essendosi considerato, colla scorta della *L.* 1. *§.* 2., e della *L. Servus ff. de dolo*, come altresì della *L. Dolum C. de dolo malo* le notorie circostanze del fallimento del magn. D. Francesco Maria Boraggine, carico di frodolente premeditazione, che lo costituiscono compratore doloso nella scienza degl' ingenti debiti contratti, della insufficienza de' proprj averi, e della irreparabile decozione; e considerato, che il dolo intervenuto all' effettuazione di un contratto di buona fede lo renda nullo, ed invalido, *L.* 7. *ff. de dol. mal. L.* 5. *C. de rescind. vendit.*, ragion per cui al magn. D. Giuseppe Califano, essendosi trovata la sua roba esistente, gli si appartiene o la restituzione di essa, *L.* 24. *§.* 2. *ff. de reb. auct. Judic. possid.* o la prelazione sul

ſul prezzo, *L. 22. ff. de hered. vel act. vendit.*, *L. 34. ff. de reb. auct. Judic. poſſid.*

Fatroſi del tutto parola nel Supremo Magiſtrato di Commercio dall' Ill. Regio Conſigliero Sig. D. Ippolito Porcinari Commeſſario.

Ha il Supremo Tribunale dichiarato, ſiccome col preſente decreto dichiara, *che ſpetta in beneficio del magn. D. Giuſeppe Califano il prezzo de' grani, dedotti negli atti, in conto del ſuo credito, che egli rappreſenta contro del Patrimonio del magn. D. Franceſco Maria Boraggine. E perciò la pleggiaria data da D. Andrea Ardiſſone s'incuſi per la concorrente quantità di ducati 4290., e ſi liberi il danaro ad eſſo magn. Califano. Salve le ragioni del Patrimonio del magn. D. Nicolò Gambardella contro del Patrimonio del ſudetto D. Franceſco Maria Boraggine, per eſſer rifatto del prezzo de' medeſimi grani, e ſalve le ragioni ancora a D. Andrea Ardiſſone contro del Patrimonio di Gambardella.*

Priſcolo Act.

Nella cauſa tra D. Pietro Giorgio Madiot, contro D. Carlo Buonocore. A dì 20 Dicembre 1775.

Qui alii rem vendendam tradidit, fidem de pretio habuiſſe non dicitur; nec rei dominium in illum fuiſſe translatum, patet.

VIſti gli atti del giudizio ſommario, compilato dal magn. Giorgio Madiot Orologiaro contro di Carlo Buonocore, da' quali pienamente ſi rileva che al fallito Mercadante di bottega Giovanni Echer diede a vendere eſſo Madiot (come altre volte avea praticato) pel prezzo di ducati 320. una ripetizione di oro giojellata, la quale dallo Echer fraudolentemente fu pignorata al Buonocore per ducati 300., da lui eſatti inſieme con altra ripetizione di oro dell' Orologiaro Chenevier, cui fu reſtituita di ordine del Regente di Vicaria, ſenza che dal Buonocore ſi foſſe provata l' eccezione addotta di aver comprata tal repetizione al-

l'incanto nella Piazza degli Orefici, non avendo anzi fatta nel termine prova di sort'alcuna *fogl. 6. ec.*

Fattosi del tutto parola nel Supremo Magistrato di Commercio dall'Ill. Regio Consigliero D. Ippolito Porcinari Commessario.

Il Supremo Magistrato dichiara, e provvede, *che il magn. Carlo Buonocore restituisca al magn. Giorgio Madiot, la ripetizione di oro giojellata, dedotta negli atti; salve a lui le ragioni contro del Patrimonio di Gio: Echer. Per le spese della lite il mentovato Buonocore non sia molestato.*

Si è creduto non trasferito all' Echer, ed al Buonocore il dominio della ripetizione di oro, dal secondo ritenuta in pegno, fino a che dal primo gli si fosse restituita la somma pagata per la medesima; giacchè non intese il Madiòt di vendere la ripetizione all'Echer, avendogli fede del prezzo, ma sol commettergli di trovare, come altre volte era seguito, chi la comprasse. Nè si potea ravvisare nel Buonocore quel dominio, che all'Echer non si era trasferito, e che neppure gli dava la pubblica fede dell'asta, o sia incanto non intervenuto nell'acquistar la repetizione di oro. E che perciò il Madiot non soddisfatto del di lui prezzo avesse dritto di reivindicarla, salve restando le ragioni al Buonocore da ripetere dallo Echer il prezzo pagato per averne il pegno.

Non si è ravvisato bensì in lui il carattere di temerario litigante, sicchè fosse tenuto alle spese della lite, non essendovi prova ch'egli sapesse di esser la ripetizione, non dell'Echer, ma del Madiot, il quale glie l'avesse data solamente per venderla, ed introitarcene il prezzo.

Priscolo,

Nel-

Nella causa tra D. Angelo Serafino Sauli, e D. Lucia d'Elia, col Patrimonio di D. Stefano Ravenna. A dì 18. Gennajo 1776.

Visti gli atti. Fattosi del tutto parola nel Supremo Magistrato di Commercio dall'Ill. Regio Consigliero D. Ippolito Porcinari Commessario.

Venditio sub hasta non excludit finitimos possessores a jure retractûs.

Ha il Supremo Magistrato dichiarato, siccome in vigor del presente decreto dichiara, *aver luogo il ritratto del territorio appellato Rodogallo per diritto di vicinanza, e di maggiore estensione di confini, preteso dalla Baronessa D. Lucia d'Elia; salve contro di lei le ragioni per la sua rata a D. Angelo Serafino Sauli suo figlio. Fatto prima però dalla medesima Baronessa il deposito in pubblico Banco, tanto dell' intiera somma di ducati 931., prezzo per cui lo comprò Stefano Ravenna nel 1768., quanto del valore delle migliorazioni fatte dal medesimo nel suddetto Territorio, d' apprezzarsi a spese del Patrimonio da Periti non sospetti, per quello sia stato migliorato, e non già relativamente allo speso per migliorarlo. Salve le ragioni ancora a' RR. PP. Predicatori della Città di Gallipoli sul detto prezzo dello stesso Territorio, che verrà depositato dalla Baronessa D. Lucia d' Elia, per la poziorità da essi pretesa, per la concorrente somma però di ducati 500. di danaro pagato dal Ravenna tra il prezzo della compra del suddetto Territorio. Per le pretese spese della lite non sia il Patrimonio molestato.*

Era in controversia, se l' acquisto fatto sotto l' asta giudiziale, preceduta dai bannimenti sollenni, escludesse dal ritratto il vicino; e se dandosi luogo al medesimo, dovesse appartenere alla sola Baronessa D. Lucia d'Elia, o pure si dovesse il Territorio dividere *pro rata confinium* tra lei, ed il figlio D. Angelo Serafino Sauli, la moglie del debitore Stefano Ravenna per un suo fondo

do

do dotale , ed il di lui Patrimonio , tutti possessori confinanti al Territorio che si pretende ritrarre.

Il Supremo Magistrato è stato di avviso, che ne' termini della Costituzione *Sancimus de jure Protomiseos* , la quale *de forma* prescrive la denuncia a' vicini , se vogliono servirsi del congruo , prima di perfezionarsi la vendita, le subastazioni sollenni, precedute da' bannimenti (valevoli ad indurre la scienza della vendita per la *L.* 8. *C. de remissione pignorum*) non bastino a rendere adempiuto l'atto sollenne della denuncia ; dopo della quale la costituzione stabilisce il periodo di 30. giorni a prescrivere l'azione del retratto ; ma che questo tra il decennio della vendita competa a' non denunciati vicini, anche per le vendite, che sian seguite *sub hasta* de' fondi ritraendi . Non così sarebbe però ne' termini della consuetudine di questa Città , *si quis emit de jure congrui*, per la quale a prescrivere l'azione del ritratto basta l' anno dalla scienza , che della vendita abbiano avuta i vicini, e ch' è da presumersi, quando sia stata preceduta da'bannimenti, e da subastazioni sollenni.

Or trattandosi di vendita *sub hasta* di un territorio sito in Gallipoli, il di cui ritratto doveasi giudicare ne'termini della Costituzione *Sancimus*, siccome il Supremo Magistrato ha deciso, doversi concedersi alla Baronessa d'Elia , che tra vicini non denunciati tra il decennio l'ha preteso ; così non ha opinione di doversi dividere tra'confinanti possessori, sì per essere degli altri per brev'estensione il confine, in rapporto a quella molto maggiore del Territorio della Baronessa d' Elia ; come perchè di danno al Patrimonio sarebbe riuscito, se divisamente si fosse dato luogo al ritratto all' Elia , al Sauli, alla moglie del debitore , ed al di lui Patrimonio , tanto per lo minor prezzo delle migliorazioni , che ne avrebbe esatto , quanto per l'incertezza di rica-

cavarne dalla sua porzione, e da quella della moglie pure obbligat' a' Creditori, quella rata del prezzo del ritratto, che all'una ed all'altra spetterebbe, in tempo della necessaria vendita, che dovrà farsene per soddisfare i Creditori. Poichè però la stessa considerazione non avrebbe avuto luogo per il Sauli pur confinante, e figlio della Baronessa d'Elia, si è creduto perciò, che nel dare il ritratto alla madre, confinante per estensione molto maggiore, restasse provveduto bastantemente al dritto di lui, riserbandogliese per la sua rata contro della medesima, se volesse avvalersene.

Le altre provvidenze, o riguardano le seguele del conceduto ritratto, come sono il deposito tanto del primo prezzo pagato dal Ravenna per acquistare il Territorio, che si retrae, quanto delle migliorie, rispetto a quanto per le medesime il fondo sia migliorato; o decidono contro della ritraente Baronessa d'Elia la ritenzione del primo prezzo del ritratto, preteso dalla medesima in virtù del consenso prestatole dal Convento de' PP. Predicatori di Gallipoli; per essersi considerato, che non tutto il lor credito equivalente al primo prezzo, che deesi pagare per lo ritratto, sia poziore su'l fondo ritraendo, ma che tal poziorità compete sol per ducati 500. di danaro del Convento, pagati per acquistarlo; i quali costituendo una parte del prezzo, che al Patrimonio si deve, possano dare al Convento su'l deposito, che dovrà farsi per ducati 500. soltanto dritto di poziorità.

Priscolo.

FINIS.

IN-

INDEX ARGVMENTORVM.

CES-

FIDEICOMMISSUM.

FURTUM.

HEREDITAS, HERES.

Ex

Ex iis, quæ suspicandi tantum causam ministrant, nemo potest damnari, licet delictum in genere constet. *Decis.* 19. *Apr* 1775. *p.* 145.

Cum indiciis tantummodo Reus prematur, Judex arbitretur, oportet. *Decis.* 23. *Jun.* 1775. *pag.* 151., 1. *Julii* 1775. *pag.* 159., & 14. *Maji* 1776. *p.* 185.

Probatione deficiente damnari nequit Reus. Quantum indicia valeant, Judex inspiciet, qui & indicia, & probationes, quæ alias infirmæ essent, admittet in difficillimæ indaginis criminibus. *Decis.* 11. *Sept.* 1776. *pag.* 275.

Vid. in v. Furtum.

INDULGENTIA, INDULTUM.

Vid. in v. Abolitio.

JURISDICTIO.

Sicut in venditione terrarum, castrorumque, ita etiam in particulari jurisdictionis alienatione præfertur Universitas, quæ infra annum ad demanium admitti petit. *Decis.* 19. *Jun.* 1775. *p.* 201.

Damnum injuria datum reficiendum est; ac punienda turbatio jurisdictionis. *Decis.* 5. *Mart.* 1776. *p.* 289.

LEGITIMA.

In liquidatione legitimæ filiæ a successione exclusæ faciunt partem, licet ad partem non admittantur. *Decis.* 18. *Mart.* 1775. *p.* 22.

Substitutio reciproca inter filios ordinata impedimento non est, quin iis liceat legitimam liberam detrahere ex paterna hereditate. *Decis.* 27 *Maji* 1775. *p.* 139.

LOCATIO CONDUCTIO.

Ut prælationi fiat locus in conductione bonorum, quæ ad Loca pia spectant, conductionem ipsam longissimo tempore continuatam fuisse oportet; longissima vero existimatur, quæ ad triginta annos protracta est. *Decis* 15. *Jan.* 1776. *p* 63.

Qui a conductione cymbarum, sine justa causa recedit integrum naulum persolvere tenetur. *Decis.* 8. *Apr.* 1775. *p.* 260.

MANDATUM.

Licet violati mandati crimen ea pœna plecti debeat, quam Reus ipse solemniter stipulatus est, lenius tamen punitur, cum vel minimum quidquam pro eo considerari queat. *Decis.* 26 *Aug.* 1775. *p.* 163.

Mandatum, quod, ne damni aliquod futurum sit, a Magistratu injungitur, pœnæ loco non est. *Decis.* 1. *Feb.* 1776. *p.* 272. *arg.* 1.

MARITUS.

Ex obligatione uxoris conveniri non potest. *Decis.* 3. *Jun.* 1776. *p.* 296. *arg.* 1.

MORA.

Merce statuta die haud tradita, pretium, in quo id, quod interest, contineatur, persolvi debet; utrum vero & usuræ præstandæ sint, Judicis prudentiæ, qui debitoris moram trutinetur, relinquitur. *Decis.* 22. *Dec.* 1774. *p.* 312 *arg.* 2.

Vid. in v. Debitor.

OFFICIUM.

Concessio officiorum, quæ ad Principatum spectant, a Prorege facta, nonnisi a Principis ratihabitione legem sumit. *Decis.* 20. *Dec.* 1775. *pag.* 240.

PA-

PATRIMONIUM SACRUM.

PŒNA.

POSSESSIO.

PRÆAMBULUM.

PRÆLATIO.

PRÆSCRIPTIO.

PROBATIO.

PROMISCUITAS.

Vid in v. Communio.

PROTESTATIO

Ei, cujus intereſt, vel ejus Procuratori denuntiata, juſtam tribuit proteſtanti exceptionem. *Decif.* 19.*Dec.* 1775. *p.* 291.

REPRÆSENTATIO.

Jus repræſentationis ex Confuetudine hujus Civitatis extenditur in infinitum in linea collaterali. *Decif.* 8. *Apr.* 1775. *p.* 24.

RETRACTUS JURE CONGRUI.

Curſus aquæ, qui inter duo prædia fluit, eum juris publici non fit, non impedit, quin finitima dicantur prædia; itaut poſſeſſor unius merito poſſit retractum alterius petere jure congrui. *Decif.* . . . *Jul.* 1775 *p.* 40.

Denunciatio, quæ non exprimit venditionis pretium, & pacta, perinde habetur ac ſi facta non fuiſſet. *Dict. Decif.*

Qui proprietatem fundi tantum habet, recte retrahit jure congrui prædium contermınum. *Decif.* 9. *Feb.* 1776. *p.* 63.

Prædio in emphyteuſim conceſſo ſub canone redimibili, datur locus retractui jure congrui ex Confuetudine Neapolitana; nec obſtat vicino, qui abfuit, lapſus anni a die conceſſionis. *Decif.* 13.*Feb.*1776.*p.*69.

Pactum reemendi venditioni appoſitum. impedimento non eſt, quin finitimus poſſeſſor venditum prædium retrahere queat jure congrui. *Decif.* 25. *Jun.* 1776. *p.* 83.

Servitutes cujuſque generis ſint, dominium non conſtituunt: quare qui ſervitutem in fundo habet, nequit ut condominus in illius emptione aliis vicinis præferri. *Dict. Decif.*

Cum unus ex finitimis poſſeſſoribus alios præveniat in fundi acquiſitione, aliorum jus certe non læditur. *Dict. Decif.*

Ceſſio juris congrui, niſi fiat cum ipſo prædio contermino, inefficax cenſetur. *Dict. Decif.*

Venditio ſub haſta impedimento non eſt, quin vicinus fundi venditi retractum petere poſſit. *Decif.* 12. *Sept.* 1775. *p.* 239.

SATISFACTIO.

Creditoris inopia, temporis lapſus, atque ſæpius coram Judice calculata ratio ſatisfactionis præſumptionem præbent. *Decif.* 20.*Apr.*1775. *pag.* 304.

SUBSTITUTIO.

Sive præobitu, ſive renunciatione ſubſtituti, in cauſam caduci ſubſtitutio incidit. Filii autem in conditione poſiti, Doctorum opinionibus uſſis, nunquam propr. . jure ad hereditatem venire queunt. *Decif.* 6. *Feb.* 1776. *p.* 64., & *Decif.* 7. *Maji* 1776. *p.* 78.

TESTIS.

Teſtes, niſi per Judicem, & ſub ſacramenti religione, ac niſi in dilatione, ad probationem conceſſa, interrogati fuerint, nullam fidem merentur. *Decif.* 11.*Dec.*1775.*p.*290.

TESSERA COLLYBI.

Licet is; in cujus beneficium conſcripta eſt teſſera collybi, diſtulerit trahenti denunciare, eam neque acceptatam, neque ſolutione extinctam fuiſſe a *Tractatario*; nihilominus Trahens haud liberatur. *Decif.* 24. *Sept.* 1776. *p.* [illegible]

TRANS-

NEAPOLI. EX REGIA TYPOGRAPHIA
ANNO MDCCLXXXVII.






Legatoria GIUDICE
Via Fuori Porta S. Gennaro

